
Omnia probate quod bonum est tenete



HISTORIA
uera:

DE VITA, OBITV, SEPVLTVRA, ACCVSATIOne hæreseos, condemnatione, exhumatione, combustione, honorificaq; tandem restitutione beatorum atque doctiss. Theologorum, D. MARTINI BVCERI & PAVLI FAGII, quæ intra annos XII. in Angliæ regno accidit.




ITEM HISTORIA CATHARINAE VERMILIAE, D. Petri Martyris Vermilij castiss. atque pijssimæ coniugis, exhumatæ, eiusdemq; ad honestam sepulturam restitutæ.



Cum Orationibus, Concionib. Epitaphijs, uarijsq; Encomiasticis carminibus, Lectu dignißimis.

Omnia paucissimis hactenus uisa.



1 5 6 2.




IV

OPTIMO VIRO, DOCTISSIMO THEOLOGO, fidelißimo Ecclesiastæ, Dn. MICHAELI DILLERO:

CVNRADVS HVBERtus S. D.



'Proximis nundinis Francofurten. accidit, Dillere dilecte, ut Oporinus noster hæc Anglicana, instituto suo de monumentis D. Martini Buceri quasi præmittenda, præter expectationem meam postularet: & quia exempla ipsi excudenda annum antè promiseram, tanti amici postulatis repugnare minimè debui: maxime cum is ex eorum sit numero, qui memoria tenent uiri huius probitatem, studiorum diligentiam, doctrinę excellentiam, easq́; cupiunt uirtutes celebrari omnibus ho-



minibus. Tibi uerò, mi optatißime Dillere, idcirco hoc uolumen mitto: Primùm, quia tibi notißimus atque familiarißimus Bucerus fuit, ut item mihi. Deinde, quia ambo illius præceptis eruditi sumus. prætereo ius hospitij, quo te illa deuinxerat non paucis mensibus: cuius liberalitatis non dubito quin gratissima tibi atque iucundissima sit memoria. Addas hic tuum de illo iudicium, quo tu statuis, eum purißimum doctorem, idque theologũ fuisse: nihilque ei fuisse antiquius, quàm διδασκαλίας ἀκρίβειαν, ut Chrysostomus nominat. Postremò, quia notum mihi est tuũ erga mortuũ Bucerum desiderium, uel luctus potius & lachrymæ in huius uiri recordatione. Hac ipsa de causa te delegi, quem in hac diuulgatione appellarem, uel ut testem, uel ut laudatorẽ, uel ut patronũ: imò ut testẽ, laudatorẽ, patronum. Nam tametsi ipse hominis neque laudẽ, neque testimoniũ requirit: nobis tamen & amicis & discipulis gratißimum atque iucundißi-

cundissimum est, à quàm plurimis & quàm optimis uiris eum testimonijs iuuari & probari, & amari, & laudari. Neminē puto latêre, quanta, quamq́; constantissima opinio atq; existimatio de Bucero sit in Italia, Gallia, Anglia: unde sępe mihi in mentem uenit Fabiani iudicij, qui dicebat: Illum plurimùm profecisse in eloquentię studio, cui placeret Cicero. Idem ego de Bucero statuo: MAGNOS eum fecisse progressus in Theologię cāpis, cui Bucerus placeat. Apparent enim, imò extant planè impressa in illius uoluminibus, quæ confecit satis multa, maximarum uirtutum uestigia, diligētię, charitatis, ueritatis, acuminis iudicij, doctrinę. in quibus omnibus proprium quoddam attulit scribendi genus, & rationem peculiarem: qua non solùm erudit legentem, uerumetiam afficit ualde suauiter sententiarū copia & delectu, argumentandi modo & genere, quod planè διδακτικὸν atque διαλεκτικὸν est, usqueadeò, ut ui

deri posſit, quàm eruditè probabilia à neceſſarijs diſiungat, quàm argumẽtoſè quę probanda ſunt confirmet, quàm ſubtiliter aduerſaria diluat: ita ut non acrimonia in uituperando, ſed ueritate in docẽdo ſit ἐλεγκτικός: neq; ullum ſit dialecticorum pręceptum, idq; Ariſtotelicũ, cuius hic ſcriptor nõ plurima atq; perſpicua exempla habeat. Sed quid ego ad Palladis arcẽ Athenis noctuas affero? Atqui placebunt tamẽ tria iſta quę adfero monumẽta: unũ Buceri, alterum Fagij, tertiũ Catharinę Vermilię: quę non dubito quin tibi chariora ſint, quàm Memphiticarum pyramidũ (ut ille uocat) barbara miracula. Vale mi Dillere, & me, ut facis, in Chriſto amare perge. Argentorati, 15. Februarij. Anno M. D. L X I I.

CATA-

CATALOGVS EORVM quæ hoc Libello continentur.

no

DE IMMANITATE EORVM
qui in defunctorum hominum corpora sæuiunt, Locus ex Platonis de Repub. Lib. 5. ideo hoc loco positus, ut gentilibus etiam displicuisse, & ab omni humanitate alienam esse eam rabiem, appareat.

Ἀνελεύθερον δὲ οὐ δοκεῖ, καὶ φιλοχρήματον, νεκρὸν συλᾶν; καὶ γυναικείας καὶ σμικρᾶς διανοίας, τὸ πολέμιον νομίζειν τὸ σῶμα τοῦ τεθνεῶτος ἀποπταμένου τοῦ ἐχθροῦ, λελοιπότος δὲ ᾧ ἐπολέμει; ἢ οἴει τι διάφορον δρᾶν τοὺς τοῦτο ποιοῦντας τῶν κυνῶν, αἳ τοῖς λίθοις οἷς ἂν βληθῶσι χαλεπαίνουσι, τοῦ βάλλοντος οὐχ ἁπτόμεναι; οὐδὲ σμικρόν, ἔφη. ἐατέον ἄρα τὰς νεκροσυλίας, καὶ τὰς τῶν ἀναιρέσεων διακωλύσεις.

HOC EST:

An non illiberale quiddam, cogitationisq; auaræ, muliebris, ac uilis esse uidetur, cadauer expoliare, hostemq;

putare

putare mortui corpus, cum aduersarius ipse abierit, eo quo cum pugnabat relicto? Nũ censes eos qui hoc agũt, differre à canibus, aduersus iactos lapides irascentibus, eo qui iacit dimisso? Nihilo equidem differre arbitror.

Quare à rapinis huiusmodi abstinendum est: uictoriæ namque obsunt.

IN ANTICHRISTI ET membrorum eius rabiem, pro M. BVCERI, P. FAGII & CATHARINAE P. MARTYRIS quondam coniugis, Reliquijs: IOANNIS Oporini, DEI opt. max. authoritate contra portas Inferorum P. Notarij, Iambus.

O Antichriste, pessime
Mortalium, quos aut tulit,
Aut terra fert in posterum:
Iniuria non diceris
Crudele monstrum, & Bestia.
Quid namq; te crudelius?
Quid te (malum) ferocius?
Spernis CREATOREM tuae
Substantiae, ingratissime.
Morem geris mendacij
Patri, per omnium genus
Te pertrahanti criminum.
Nostrae salutis uindici,

Dei

Dei (nefandum) filio,
Blasphemias impingere
Per te, per asseclas tuos,
Nunquam sceleste desinis.
Nec hoc satis, fidelium
Sincera summi dogmata
Cætus professos Numinis,
Instar lupi infestissimi
Ferox ubiq; dissipas:
Quæq; offeruntur omnia,
Ore impudente deuoras.
Nec innocente sic satis
CHRISTVM *piè colentium*
Inebriatus sanguine:
In mortuorum corpora,
Quasuis licet sæuissimas
Immanitate bestias
Vincens, apros uincens, lupos,
Canesq; cum leonibus,
Vngues rapaces iniicis.

Hos ergo quondam mortui
Et uos tulistis corpore,
Christi fideles Martyres:
BVCERE tu fortissime
Cultor Dei, cœlestium
Sincere præco dogmatum:
Diuinæ & eloquentiæ
FAGI sator doctissime:
Tuq́ ô CATHARINA, coniuge
Beata constantissimo
Cultore Christi MARTYRE:
At hoc quidem beatior,
Quòd hic redemptam agni Dei
Te credidisti sanguine.
Nunc angelorum enim choris,
Pijsq́, perfruentibus
Quiete CHRISTI prospera,
Iuncti, simul quiescitis.
Sed tu ruis, mortalium
O' Antichriste pessime,

Quos

Quos terra fert: tuæ ruunt
Iniquitatis organa.
CHRISTVS triumphat, inclyta
Fretus potens uictoria:
Fides suæq; Ecclesiæ
Victoria est certißima,
Eius nec ullo gloria
Ceßat uigere tempore.
Aeterna te damnatio
Manet, manet squamas tuas.
Par est enim, tuis feras
Ut digna factis præmia.
Aeterna sanctos gloria
Manet uiros, & gaudium
Nunquam Baal fœdißime
Perenne ab ipsis auferes.

DE OBITV DOCTISSIMI ET SANctiſsimi Theologi D. Martini Buceri, Epiſtola I.

DOCTISSIMO VIRO & amico ſuo ſingulari, D. Petro *Martyri Florentino Iohannes Checus* S. D. P.



TA NATVRA FERT, VT quos doctrina exquiſita, aut ſingulari uirtute uiros nouerimus, aut etiam neceſſitudine grauiore, uel beneuolentia coniunctos, illorum mortem grauiter & acerbe feramus: quia indignos illos putamus, ut luce & ſpiritu communi priuentur. Et nos etiam ita diligimus, ut non modo nobis, ſed ne noſtrorum quidem ulli, miſerum & calamitoſum aliquid accidere debere iudicemus. Te autem puto Domini BVCERI grauiſsimi & religioſiſsimi

mi uiri mortem moderate & christiane ferre: neque naturam ita uoluntati Dei repugnantem habere, ut uehementiorem aliquam perturbationem in cómuni & naturali omnium exitu, in animum tuum intrare permittas. Scis cuius esset cum uiueret, quis in illo habitaret, quàm non sui iuris esset, qui totum se illius seruituti addicebat, à quo redemptus fuerat. Hic cum non donatus nobis à Deo, sed ad aliquam temporis usuram commodatus sit, acerbius feremus, quòd Deus hunc euocauerit, quàm gratias agemus, quód talem nobis tam diu reliquerit: & cursus hic ætatis fuerat, atque adeo inclinatus, ut etiamsi longiore uita dignus esset, natura tamen illum longius prouehere non posset. Et cum constantissime uitam omnium traduxerit, & eadem constantia uitę quoq; finem fecerit, quanto hoc debet familiares illius et necessarios gaudio perfundere, quòd ita à Deo raptus sit, ut malicia mentem illius non peruerteret, sed uitæ innocentiam, mortis constantia superaret. De diuina autem potentia, sapientia, bonitate, quis poterit

Testimonium pro D. Martino Bucero.

poterit dubitare, neque nos cum illo pu‑ gnare debere: sed nos illius magnitudi‑ ni & potentiæ subijcere, ut grato animo accipiamus, quicquid nobis à tanto au‑ thore obiectum sit: ne uel reclamando obstinati, uel nō ferendo imbecilles, uel male accipiēdo ingrati reperiamur. Stul‑ tissimum est autem & spiritu Christi in‑ dignū, ut nos quicquam melius & præ‑ stantius putemus posse facere, quàm di‑ uinæ prouidentiæ regula constituit: cu‑ ius etiam stultitia, longe omnem huma‑ næ intelligentiæ solertiam superat: sapi‑ entia autem à nemine cerni potest, cum ne in intelligentiam quidem nostram multis modis depressam atque obscu‑ ram, aliquid spirituale aut diuinum, ni‑ si Spiritus lumine introductum, cadat. Qui uero Deum suis bonū & propitium cogitant, qui omnia, non modo misera & calamitosa, sed etiam scelesta & nefa‑ ria ad bonum conuertit, quomodo hoc sibi in animum inducent, ut hoc inutile, damnosum & noxium suis sit: quorum tam arctam curam gerit, ut ne pilus qui‑ dem capitis sine illius uoluntate de capi‑

Deus omnia bene operatur.

te decidat? Cum autē in omnibus apud Deum precationibus hoc adiungimus, ut illius uoluntas fiat, quàm incōstantes & leues erimus, si, antequam res eueniant, à Deo contendimus, ut quod uelit faciat: postea autem & hoc quod expetebamus, non ferimus, & quod precabamur antea, hoc nunc idem deprecemur: eam commutationem nō ferentes, qua Deus suos ad patientiam & perpessionem rerum exerceri atq; erudiri uult. Nā quanquam nos magnum ornamentum & columen integritatis, religionis, doctrinæ amisimus, neq; tamen ille lugendus, qui hęreditatem paternam adijt, de qua nos hic cum miseria laboramus: neq; status Ecclesiæ deflendus, quæ tātum & talem in cœlum emisit: neq; nostras rationes afflictas, ut uidetur, & collapsas lamētari debemus, qui plus opis & præsidij in spiritu Christi, quàm in uoce Apostoli collocare debemus. Sed hinc abducere cogitationes nostras discamus in Christū, & spiritum eius salutarem etiam atq; etiam petere, ut omni externo præsidio Ecclesia quasi destituta, internis spiritus sub-

Buceri mors non lugenda.

sidijs

ſidijs recreetur, &in hac tanti Parentis noſtri orbitate,authoritate ſpiritus leuemur. Atq; hic fœliciores aliquanto nos Cantabrigiēſes ſumus, quòd tantum uirum Cantabrigiæ Deus cōmendauerit, quòd ita altas radices diſciplina Chriſti per Bucerum egerit,ut hoc laboris & muneris curſu confecto, fructum & præmium exoptatum Magiſter percipiat. Nondum iniquitas Amorthęorum completa eſt, nondum tibi in liberum cœlum & domicilium hæreditarium ire fas eſt,maior tibi moles rerum, maius negotium miſcendū, feruore adhuc tuo carere non poſſumus: tibi elaborandū eſt, ut quāto minore comitatu ſeptus & munitus es, tanto acrius & maiore cū cōtentione dimices,& ita te pares,ut nō unus trium,ſicut ille apud Hiſtoricum, ſed ſolus omnium impetum ſuſtineas. Atque hoc fidenter tibi & animoſe ſuſcipiendum eſt. Chriſtus enim mundum deuicit, & euertit ſapientiam ſapientium τῇ τοῦ λόγου δυνάμει. Sed quid ego iſta, Deus bone, apud te? Dum tecum loquor, me ipſe conſolor, & dum leuationem

B iij dolo-

doloris tui meditor, aliquam ægritudinis etiam meæ medicinam quæro, minus laborans quid par sit mihi ad te scribere, quàm quid conueniens meo dolori detrahendo uidetur. Nunc autē quòd me nonnulla, ut uerum fatear, lætitia afficiat, percensebo tibi, quàm honeste se Cantabrigia gesserit, quæ tales honores D. Bucero mortuo habuit, quales maximos potuit: & ita eius funus prosequebatur, ut uerum amorem quem ipsi in cœlum sublato exhibere non poterant, ad futuræ resurrectionis memoriam, ergastulo animæ exhiberent. Sepultus est in celeberrimo Academiæ tēplo, deducentibus illum non modo Procancellario Academiæ, Doctoribus, alijs'que qui graduum dignitatem in Academia obtinebant, sed etiam cæteris omnibus, qui ad ingenij humanitatis'que cultum capiendum coconfluxerant. Eadem eruditionis & integritatis opinione cōmoti Maior oppidi, cæteri'que Oppidani, nouo atq; insolēti, sed laudabili tamen modo, cum scholasticis se cōiunxerant, & quemadmodum poterant, funus illius honestabant,

Funebris pompa celeberrima.

Sepulturæ locus celebris.

ſtabant, uirtutis illius magnitudinem, officio tam raro & uoluntario commendantes. Itaq; ad tria hominũ millia confluxerant, uoce, lachrymis, lamentis, quantum ſui deſiderium Bucerus reliquiſſet, atteſtantes, eum ne plebei quidem, qui illum docentem et concionantem non intellexerant, fama & prædicatione doctrinæ & religionis excitati, ab illius funere abeſſent. Precationibus noſtro more confectis, & gratijs Deo patri miſericordiarum actis, quod curriculum hoc uitæ tam pie & Chriſtiane ab illo decurſum eſſet, & ad ærumnarum atque angorum finem, quibus mortalium uita obſeſſa atq; excruciata, iactatus, cum laude & conſtantia perueniſſet. Ibi tum Haddonus Academiæ orator Legum Doctor, eloquentiæ laude præſtans omnibus, ipſe morbo uiſcerum fractus, & de mortuo loquens ipſe ſemimortuus, ſiue magnitudine calamitatis commotus, ſiue conſuetudine tam Chriſtiani & religioſi uiri orbatus, ſeu frequenti dolore tanti concurſus animo perculſus, grauem de re

Tria hominum millia ad funus.

Haddonus orationem habet funebrem.

tam graui, orationem habuit, ut lachrymæ ubertim omnibus manarent, cogitantibus cuiusmodi Magistro essent orbati, quo maiorem uix uniuersus orbis caperet, siue scientiam ueræ religionis, seu uitæ integritatem atq; innocentiam, seu inexplebile studium sanctissimarum rerum, seu laborem intollerabilem promouendæ pietatis, seu authoritatem & amplitudinem docendi, siue quid aliud in illo laudabile & gloriosum fuit. Ille ardor orationis fuit, ut lachrymæ caderent omnibus, clarissimi uiri desiderium animo repetentibus, & sine pastore quasi palantibus, præeunte Haddono, non modo uoce & querela, sed etiam lamentatione & lachrymis. Hunc sequutus D. Parkerus Theologiæ doctor, uir pius & grauis, concionem anglicam apud populum habuit, qua docuit, quatenus mortui lugendi nobis essent, &, quatenus gaudio & gratulatione prosequendi. Deinde, quot incommoda nobis ex unius Buceri morte, tum publica, tum priuata, inuecta essent, & quibus rursus de causis sedato atq; æquo animo ferre hunc com

Laudes Buceri præclarissimæ.

D. Parkerus ad plebem habuit concionem.

munem omnibus uitæ exitum, sed paucis tam memorabilem, deberemus. Sic ea nocte singuli domum quasi in orbitatem & solitudinem se conferebant. Postridie eius diei ad templum rursus conuenerant, & gratijs de more actis, quod ex hoc ærumnoso solo in portum & perfugium salutis suos satis idoneis temporibus traducit, & beneficio mortis Christi in mensa Dominica proposito, ad Eucharistiæ communionem quadringenti accesserunt, mortis Christi commemoratione habita, & spe resurrectionis illius cõmunione adaucta. Tum Redmannus Theo. D. uir eruditus & pius, concionem in maxima frequentia habuit, & quid mors esset, disseruit, &, quomodo uniuersa bonorum & Sapientum uita, meditatio mortis esset, nihilq́ ita in auribus omnium personare debere, ut discessus ex hac fragili caducaq́ uita, bonorum exempla nobis ad perpetuam de morte cogitationem proposita esse, atq; ad eum finem omnia facta, dicta, studiaq́ nostra conferenda esse quid in Buceri uita laudabile & sequendum, quid in

D. Redmannus sequenti die alteram habuit.

illius morte memorabile & gloriosum esset. Atque hac oratione usus, finem dicendi fecit. Eadem aurora studiosi omnes qui aliquid poterát, & uel in grecis uel in latinis literis profecerant, non quid Bucero dignum esset, quem laude sua superiorem iudicabant, sed quid officio suo conueniens esset, quod sibi omni studio colendum putabant, secum reputantes, quibus poterant uersibus græcis, latinis, soluta etiam oratione, tumulum illius honestabát. Neque in festorum celebritate magis solitum est loca quædam sertis & corollis undique redimiri, quàm locus ubi humabatur, epitaphijs & acroamatis distinguebatur. Hunc honorem scholastici & oppidani Cantabrigienses, pietatis ac literarum nomine, Bucero detulerunt. Precor autem à Deo opt. max. ut hec externe beneuolentie testimonia, ab interno & propiore animi affectu oriantur, & quam ille ueram doctrinam reliquerit, eandem studijs, sententijs, uita persequantur, ut uir tam nobilis, si quidem ullus esset in Christo quiescentium sensus eorum quæ hic agerentur, fructu labo-

Epitaphijs uarijs tumulus honestatur.

laborum quos hic posuerat, lætaretur. De familia eius uideo te laborare D. Petre, in quo nihil est quod te excrucies. Nam & D. Cantuariensis, reliquiq; illius amici hoc in se munus receperunt, ut illi abeunti, honestis conditionibus prouideatur, & Academia etiam quod potuit fecit, scripsit ad Regiam Maiestatem & consiliarios Regios in hac causa, & Rex qua est singulari pietate & prudentia, se iustam illius familiæ rationem habiturum promisit. Condonabis mihi αὐτοσχεδιάζοντι σοὶ ζυτῶν πέρι. Dominus IESVS te & familiam tuam seruet.

VVestmonasterij X. Martij. Anno Domini M. D. L I.

DE OBITV DOCTISSIMI ET SANctissimi Theologi. D. Martini Buceri Epistola II.

AD CLARISSIMVM VIRVM ET SINgularem patronum suum Iohannem Checum, nobilissimi & serenissimi EDVARDI *Sexti, Dei gratia Angliæ, Franciæ, & Hyberniæ Regis, &c. in bonis literis institutorem,*
Nicolai Carri Nouocastrensis Angli.



AGNVM DOLOREM CAlendis Martijs, uel potius incredibilem accepimus, clarissime Patrone, ex immaturo obitu M. Buceri optimi & sanctissimi uiri. Quem siue fatalis nobis casus aliquis eripuit, siue is perenni quodã studio suo extinctus occubuit, non lugere qui possumus? cum adhuc ei per ætatem, tametsi seni, aliquot superesse anni uiderentur, quibus diuino ipsius ingenio perfrui potuissemus. Et quanquam hic dolor cum multis

multis nobis fuit communis, qui maxima frequentia, publico luctu declararunt, qualem & quantum uirum, quamque omnibus charum amisissemus: tamen ad nos præcipue, qui illum ut præceptorem uerebamur, ex eius interitu mœror peruenit: cum quo morte perempto, duabus præstantissimis rebus orbati sumus, exemplo innocentiæ, & excellentis utilitate doctrinæ. Etenim eo tempore cessit è uita, quo maximus ab eius doctrina fructus expectabatur ijs hominibus, quibus in primis opus esset tali uirtutis magistro: ea denique causa, quæ D. Martini Buceri, id est summi artificis, & in omnes partes comparati, facultatem atque acumen desideraret. Quo magis uenia danda est huic pio dolori nostro, & omnes qui præstantissimi hominis diuinæ uirtuti fauent, in eiusdem societatem luctus uocandi sunt. Quanquam, quid dico uocandi? cum dubium non sit, quin ad quoscunque fama peruenerit tanti uulneris, si nō eius quem constat esse beatissimum, tamen nostra causa, à quibus ablatus est, in mœrore sint futuri.

Quæ morte Buc. amissa.

futuri. Te teipsum arbitror, Clarissime patrone, qui ætate non multis, doctrina antecellis omnibus, quiq́ princeps nostrorum hominum in omni genere putaris, principem Germaniæ cũ magno nostro incõmodo auulsum, ægre molesteq́ ferre. Quis enim illo charior tibi? Quẽ is dilexit te magis? Cui maiora præstitit, uel obseruantiæ, uel charitatis officia? Quem tu æque atq; illum cõplexus es? ut mihi & is beatus, qui talem uirum obseruauit, & tu fœlicissimus uidearis, qui cum sanctissimo homine & eruditissimo magistro tam arctam coniunctionem habere uoluisti. Veruntamen si te absentem fortè non tam grauiter ipsius mors perculsit, quàm nos iam pridem nostrásque cogitationes afflixit: siq; eodem modo reliqui, quorum oculi abfuerunt, tardiores ad luctum sint: ferendúm id quidem in eo est, quod nihil à communi sensu & more alienum accidit. Acrius enim ferire solent, quæ aspectu, quàm quæ auribus sentiuntur. Et ipse oculorum dolor stimulos habet uehementiores, quum ad communem luctum ma-

Buceri & Checi amor.

maior aliqua necessitudo accesserit.

Nos eum lugemus amissum, cuius e-
ruditißima uoce frui, quem adire, quem
alloqui, quocum etiam coniunctißime
uiuere solebamus. Vos ereptum doletis,
quem non ita sæpe audire, non oculis a-
spicere, non conuenire poteratis: a cuius
uos sanctißimo conuictu, cum locorum
interuallū seiunxerat, tum uita ciuili pro-
curatione districta auocauerat. Quan-
quam sit par, uel si uultis maior in eū ue-
ster amor, dummodo hoc cōcedatis, cau
sas amoris nos habere et iustiores et ube-
riores. Qui certe cum in eum incredibilis
esset susceptus ex ipsius charitate erga
nos, ex eo ꝙ cū utilitas ad nos peruene-
rat, ad eum labor & solicitudo redierat:
optimo iure ingrati haberemur, si aut
eius mortē nō lugeremus, quę orbitatem
nobis attulit, aut uitam literis nō exorna
remus, qui nostra causa uitam amisit. Di-
cam enim uerè ꝙ res postulat. Nos Buce
ro uitam ademimus, cū eas nostra causa
uigilias susceperit, quibus afflictæ ipsius
uires conciderunt. Itaq; ad nos pręcipue
cum nostrū casum lugēdi, cū illius uirtutē
lau-

Labor & solli-
citudo Buceri

laudandi officium pertinet. Quod tametsi ab omnibus iam factum est, quibus ipsius uirtus & doctrina chara fuit, tamen eorum maxima pars, uoce id magis & fronte, quàm scripto declararunt. Ego autem, quæ mihi de ipsius diuina uirtute cogitanti in mentem uenerant, ea neq; pro eius erga me beneuolentia reticere potui, neq; pro mea in te obseruantia non ad te perscribere. Sed id quo facilius fiat, & ut in toto hoc tempore quo nobiscum fuit, omnium ipsius præclarorum & factorum & institutorum ratio constet, atque omnes intelligant, qua fide, quo studio, quibus laboribus in hac quasi perpetua sui muneris uigilia, uersatus sit, & ut ipse quoq; distributis temporibus, notatis generibus, singula persequi & cōmemorare queam, Complectar primum huius nostræ molestiæ principium, (non quod id te latere existimem, sed ut intelligas, non solere nos excellentium hominū obliuisci) deinde progressionem, in qua & offensiones ualetudinis, & reditus sæpe uarij uulnus etiam ipsum attingam, quo maximus nobis

Carri gratitudo erga Bucerum.

Ordo dicendorum.

nobis inustus dolor, & summum allatum desiderium est: & causas intexam, cur necesse fuit in tali nos mœrore esse. Quę cum omnia audieris, nec me, ut spero, reprehendes, qui luctum nostrum mandarim literis: & omnes nos, quòd ita luxerimus, pio amicorum officio perfunctos iudicabis. Ergo initium nobis huius luctus prebuit is annus, quo Londino discedens Cantabrigiam rediijt. Secum enim Londino morbum extulerat, qui in ipso itinere ingrauescens, cum se, nulla interposita medicina, multorum dierum consuetudine corroborasset, grauiter eum afflixit, & plures uno tempore corporis partes obsedit. Aderat frequens intestinorum dolor, pungebat calculus, affligebat eũ stomachus uitioso fastidio cibos respuens, tum alui tanta siccitas, ut quamquam uentriculus crudis humoribus oppletus, summopere frigeret, tamen ibi grauissimo ardore ureretur. Fons omnium malorum caput ita colliquefactum, ut riuos à se humorum dimitteret: qui cum per reliquas partes corporis, tum musculos etiam ser- Morbus Buceri qualis.

C penres,

Diligentia & studium etiam in morbo.

pentes, magnoperè uires eius eneruaue-
rant. Iacuit ita toto corpore oppressus a-
liquot menses, cum interea nullum pro-
pe tempus passus est sibi uacuum esse à
studijs: semper aliquid aut scribens, aut
legens, aut secum ipse meditans, aut ali-
os erudiens. In quo genere tanta flagra-
bat erga omnes charitate, ut cum publi-
ce se ostendere, & fontes ingenij patefa-
cere propter ualetudinem nō posset, do-
mi tamen suæ quasi scholam quandam
aperiret. Quò cum multi boni uiri con-
fluerent, perfecit, ut eos non solum occu
patis temporibus se audiendo occupa-
tos teneret, uerum etiam illa solenni lu-
dorum festiuitate, quibus homines gra-
tulandum nato Christo existimant, gra-
uiter & seuere leuissimum morem repre
hendendo, ab otio & ludis domum ad
se seuocaret. Nondum eius diuina uox è
domesticis parietibus dimanauerat, nō
uirtus, non doctrina maiori quasi Thea-
tro proposita erat: sed iam tū omnis in-
tegritatis et scientiæ officinam domi in-
struens, futuræ cum diligentiæ tum etiam
copiæ ac uarietatis certissimū signū dedit:
ea'q;

eaq́; cũ nõ amplißima uiderentur priuatis parietibus tecta, tamen domo et e paucorum cœtu in lucem & frequentiã educta, omnem omniũ opinionẽ ipsa specie & nouitate & genere interpretandi docendiq́; accuratißimo facile superabant. Nam cũ hac domestica laude multorum animos incredibili audiendi studio ad se conuertisset, & ad quintum Id. Ianuarij nondũ recuperata ualetudine, nec confirmatis uiribus, procesßisset in publicũ: dici non potest, quo concursu, qua frequentia summorum, mediocrium, infimorum, ipsius conspectus celebrabatur: quanta cũ expectatione exorsus: quàm attente auditus sit: quàm breui tempore plurimorum mentes occupauerat: qua fide, quo studio, qua authoritate docuit. Nemo tam improbus est repertus, qui si minus sua uellet, tamen omnium causa putaret, tam sanctum hominem, tanta pietate & doctrina preditum, authorem nostris studijs & adiutorem fuisse datum. Idque ab uniuersis nõ opinione tacita, sed perspicua admiratione declarari uidebatur. Sic enim eius non mens

Quo primum tempore cepe- rit prælegere.

Eius authoritas in docendo. solum, uerum etiam nutus obseruabatur, ut unus existimaretur, qui uoce præire, sententia moderari, authoritate imperare reliquis deberet. Quid enim? parum ne authoritatis in eo fuit, cuius uox quasi sacrosancta habebatur? a quo quicquid exibat id ratum confirmatumq; uidebatur. Aut ulla potest esse authoritas, nisi cum alicui ipsius probitatis & doctrinæ causa fides adhibetur? aut nō huic tantum tributum fidei, ut solus prope multis annis extiterit, cui de omnibus re-

Doctrina excellens. bus cum maxima laude sit assensum? Habuit diuinus uir, sicuti te meminisse arbitror, cum permultas excellentium uirtutum expressas imagines, tum ab his doctrinæ & literarū fontibus ita instructus erat, ut si tam bonus uir nō fuisset, quam illum fuisse omnes gaudemus, tamen uel hac commendatione studij, ad summam peruenire existimationem potu-

Integritas uitæ. isset. Sed ita omni integritatis laude cumulatus fuit, atque ita propria quadam tectus innocētia sua, ut cum in uita quod reprehenderetur nemo posset notare, præceptionibus eius non obtemperare turpe

turpe putaretur. His nōnullum momentum addidit senilis prudentia,& ex omni parte communitum ingenium,usus etiam plurimarum & maximarū rerum: qui cum omni ætati prudentiam affert, tum uerò senectuti ornamentum adiungit.In hoc nostro quantum effecerat,declarauit studium florentissimæ ciuitatis Argentoratensis, à qua ita dignissimus est iudicatus Ecclesiæ procuratione propter sciētiam, ut idem habitus sit dignissimus senatu propter prudentiam. Hæc autem in illo omnia uultu, oculis, uoce, magis eminentia. Etsi enim per se ista authoritatem non faciunt,cum illis tamen quæ dixi, afferunt aliquid dignitatis. Vox igitur grandis & canora,cum orationis forma congruens, quæ plenis & sonantibus uerbis cōstabat:is oculorum obtutus, ea frontis & porrectiō & contractio, ut quam alta mente præditus esset,facile appareret. Non me præterit residere aliquando in uultu mendacium, & oculis fingi probitatis significationem solere: Sed hominum non improborum ingenia,non fallacibus signis sua

Senilis prudentia.

Vox atq; Vultus.

rum effigiem cogitationum in uultu repraesentant. Quibus igitur rebus uniuersis authoritas comparatur, eas eiusmodi in se habuit, ut si aceruatim in eo nō coissent, tamen singulæ per se satis ad permouendum momenti habere uiderentur. Sed parum profuisset in docendo authoritas, nisi liberior quędam admonendi obiurgandiq; ratio accessisset. Quam licet facete in Gorgia irridet Socrates, tamen in his perditissimis temporibus, tam multorum socordia & mollitie nisi adhibeatur, nec in uita integritas, nec in studijs constantia reperiri poterit. Hac ille medicina usus in sanādis nostris moribus, (sed neq; tam immoderate, ut θρασυνόμενοι sophistæ, neq; tam lente & frigide, quam solent nostri πρόσκαιροι) primum amicos ipsorum pudore, deinde inimicos & reluctantes, cum sanctissimę uitæ exemplo, tum seueriore obiurgatione in officio continebat. Ad quod si hoc quoq; adiungerem, quàm frequenter in ipsa occupatione obeundi muneris sui, omnium mentes & studia inflammarit, posito ante oculos cum graui querela

Eius in notandis hominum moribus libertas.

Ger-

Germaniæ casu, commemoratis cladibus, quibus Ecclesia uastata, literæ'que deletæ sunt, rem nimis peruulgatam attingerem, & modum fortasse Epistolæ tam multa persequendo egrederer. Quare si de diligentia pauca annotauero, satis uidebor dedisse significationis, quantum damni ipsius morte perceperimus. In quo illud mihi primum difficultatis obijcitur dubitanti, utrum magis ornandus sit, quod ipse semper ocupatus esse uoluit, an quod alios ociosos esse nō permisit. Vtraq; sane laus pręclara, & habuit utraque plurimas commoditates. Nam si utile fuit à tali magistro erudiri, certe etiam optandum fuit, ut id quàm crebertime fieret: & si quicquid excellit, eo magis eminet, quo sæpius usurpetur: huius profecto diligētię qui pręclarissimarū rerum notitiā in aures nostras inculcabat, cuius opera & assiduitate multarū difficultatū molestię remouebantur, quę satis magnę laudes reperiri possunt? Quo die schola, si liceret, quo tēplū ipsius uoce caruit? quādo nō multo amplius, quā lege ei pręscriptū fuit, pręstitit? Nos (si quæ de- Diligentia Buceri maxima.

Ocium Anglicum carpitur.

tur à studijs intermissio, quam libenter amplectimur? is nec relaxationes ferebat, & in repetendo, moras grauiter reprehendebat. Memini aliquando mihi eum referre, cum ex te diceret audiuisse, si nihil agendo doctrina comparari posset, præstantissimos in omni literarum genere futuros Anglos. Quam uocem is quoque recte, ut mihi uidebatur, nostrorum hominum ingenia & mores animaduertens, usurpare solebat. Et cum tuam in eo prudentiam ac uirtutem collaudans, qui notato uitio, à tuis id moribus quam longissime abesse uoluisti, tum ipse hoc in nobis delicatum fastidium nõ ferens, licet peregrinus & afflicta ualetudine, tamen nec nouitatis offensionem pertimescés, nec suarum uirium rationem habens, & uerbis acriter reprehendere, & exemplo accusare nunquam destitit. Fœlicissimus quidẽ in eo, quod omnes eius conatus, facta, consilia, cum per se fuerunt salutaria, tum præclaros semper exitus habuerunt. Quis enim eo hortante adeò dissolutus extitit, qui se ad seueriorem morem non reciperet?

Cuius ille aures fabellis assuefactas & nugis, nō ad grauiora ἀκροάματα traduxit? Quem ludis, spectaculis, uoluptatibus deditum cognouit, cui non illo oculo suo grauissimo terrorem incussit? Itaq; dici nō potest, quàm celeriter hominum studia commouerat, & ab otio ad negotium, à ludis ad libros, à domesticis latebris ad publicas disceptationes pertraxerat. Sed huius diuinæ charitatis & studij non diuturnum tempus fuit. Siquidem triginta ferè dies, non amplius, in hoc curriculo uersatus erat, cum ecce tibi subito siue quod affectæ ualetudini non pepercit, siue quod plus laboris sumpsit, quàm ferre potuit, in eundem paucis diebus morbum relabitur, è quo se paulu lum recreauerat. Sed quemadmodum ad eundem scopulum bis allisa nauis, grauius secūdo quàm primo ictu periclitatur: ita is antequam è superiore ualetudinis naufragio se plane collegisset, ad idem saxum reiectus, maiore periculo ac duriore conditione cum redintegrato morbo conflixit. Nam primus morbus quamuis satis pœnæ sumpsit de sanctis

Secundus Buceri morbus.

 simo

ſimo homine, qui omni morbo uacare debebat, tamen neq; tam crudelis fuit, ut penitus affligeret, neq; tam perpetuus, ut nullum reſpirãdi locum daret. Hic uero tetrior quàm Phalaris, qui uno impetu totum corpus obruebat doloribus, ſic autem aſsiduus, ut ſemper premeret, & cum aliquid faciendi, tum colloquendi etiam poteſtatem eriperet, hunc ſedate, ut omnia, tulit. Veruntamen angebatur impediri uoluntatem ſuam noſtris ſtudijs commodandi. Quorum tanto deſiderio flagrabat, ut tam moleſtum eſſe morbi cruciatum diceret, quàm quod eo cogeretur, nihil agendo contabeſcere. Ex quo illa eiuſdem crebra uox clariſsimo uiro digna, qua ſe optauit aut celeriter emori, aut utilem Eccleſiæ fieri. Sed quod poſtremo loco uoluit, id ei primum accidit. Quoniam ex hoc quoq; morbo graui & diuturno cum cœpiſſet paululum ad ſe redire, una cum uere aliquam quaſi ualetudinem recuperauit: tamen eiuſmodi, qualis ex tanto naufragio uix ſane expetenda, uel diuturna fore uideretur. Sed ut nautæ, quamuis

Patientia Buceri in morbo.

Reditus ad ualetudinem.

portum

portum nō conspiciant, tamē sedata tempestate in spem salutis ueniunt: ita is sublata morbi grauissima ui, bene de reliquo sperare, et integrā sibi polliceri ualetudinem cœpit. Veruntamen in eadē ferè parte peccauit, qua hi de quibus dixi, nautę. Etenim ut illorum animi procellis franguntur, serenitate negligentes fiunt: ita is represso morbo, quasi neglexit ualetudinē, & totam curam ac cogitationem defixit in eo, ut sui quam simillimus, id est, occupatissimus esse uideretur. Et quidem certe cōstat nunquam illum esse uisum magis occupatum, quam illā æstate fuit. Cuius in ipso ardore (ut cætera non attingam) cū magna nostra comitia haberentur, et omnes eum priuatim amici, publica uoce magistratus, uniuerso consensu cuncti ad solennes Disputationes, non præsentia tantum sua, uerumetiam opera, studio, & professione honestandas deposcerent: concessum est ei priuilegium, totius Academiæ maximo plausu (id quod ante eum nemini) ut absq; ullo publico ritu & usitata ceremonia, quoniam id postularat, inauguraretur. In eis

Aestiua academiæ comitia.

Bucerus sine ceremonia cooptatus in numerum doctorum Theologiæ.

eis autem ita se gessit, ut cum primo Comitiorum die ipse responderet, secundo disputaret in maximis et grauissimis cõtrouersijs, nihil relinqueret, quod cuiusquam animum posset aliqua dubitatione retardare. Sed ut in peruulgatis artificijs solet esse inter se artificum cõtentio, & peritissimo atq; optimo plerumq; inuidetur: ita doctissimi uiri laus in aliquo inuidiosorum numero effugere reprehensionem nõ potuit. Fatale hoc nescio quid est, ut Virtutis comes inuidia sit, & præstans atque egregia doctrina semper habeat obtrectatorem. Auxit in hunc inuidiam nouitas, quæ multis sæpe claris hominibus obfuit: huic autem obfuisset nunquam, nisi eiusmodi fuissent quibuscum differebat, qui omnia docere, nihil discere didicissent. Itaq; tametsi exaudita fuit ab omnibus summa cum admiratione diuini hominis uox & oratio, tantam'q; ex eo sermone, etiam inimicorum iudicio, laudem adeptus erat, ut nihil unquam in nostra schola præclarius esse factum constaret, sparsæ sunt tamen in eus maleuolorum calumniæ, & sacrificu

lotum aures istiusmodi uoculis opplete, quibus de nostri Buceri fama & ingenij & doctrinæ permultum detrahebatur: omnis uerò laus in eam partem conferretur, ut Iungus, quo cum ei certamẽ fuit, obtriuisse eum acumine suo, & copiosissimis disputationibus ac maxima scientia fregisse diceretur. Qui rumor ita hunc non mouit, ut aliquando in multis causis iratior, ita Iungum incendit, ut nunquam in ulla elatior esse uideretur. Cuius rei satis magnum nobis indicium præbuit, cum (priusquam Oxonia Bucerus noster rediret, quo uisendi Petri Martyris causa profectus erat) commotus scilicet nonnulla gloriola, & prædicatione suorum fratrum, interpretandi sibi docendiq; munus assumeret; in quo non fuit contentus quæ uidebantur afferre, famam quoque Buceri lædere uoluit, & maxima corona idem in sanctissimum uirum cõuicium effundere, quod uulgo per sacrificorum ora iactari audierat. Hic homo lenissimus, & patientissimi stomachi, licet omnium contumelias & iurgia multos annos ferre didicisset, tamen

Iungus Buceri aduersarius.

ægre

ægrè tulit ab inimico doctrinam suam in inuidiam uocari. Nam cętera, ad ea assue factus, sic perpetuo ferebat, ut uita potius quàm oratione, refellenda existimaret. In literis si quid reprehenderetur, id sibi quouis modo palam præstandū arbitraretur. Quapropter & apud nos multa publicè cum assensione omnium bonorum, & de eadē re priuatim ad nos. Sed tuo maximè aduentu, utriusq; hominis ingeniū perspectum fuit. Nam cū ambo coram te sisterentur, & alterius summa grauitas, singularis prudentia, excellens in omni genere doctrina probaretur: alterius cachinni & puerilis sermo uehementer tibi displicerēt: ita uterq; à te discessit, ut noster Bucerus honorifice tractatus, Iungus ignominia notatus uideretur. Quod quamuis ei accidisse ipsius causa nollem, pręsertim cum et ingenio & lingua ualeat, & multa cōmode faciat: tamē sic omnes existimabant eam pœnam homini fastidiose arrogāti debitā fuisse. Sed quam tu, pro summa humanitate tua, & illa qua omnibus præstas moderatione animi, non inflixisses, nisi & is se nimium

Comparatio Iungi & Buceri.

um

um pueriliter gessisset, & tu lædi præstantissimi uiri famam ac nomen moleste tulisses. Itaque sapientiæ fuit, quòd tantum crimen non es passus supplicio carere: moderationis, quod diuturnum esse nolebas: humanitatis, quod qualecunque fuit, id te inuitum statuere uidebamus: ut si nunc, quod nonnulli criminantur, durius cum eo agatur, id sibi sua temeritate accidisse, non uos uestra seueritate imposuisse putandum sit. Sed redeo ad nostrum, qui præclarissimis iactis fundamentis eius controuersiæ, & omnibus quæ in eam pertinerent conquisitis rationibus, ita uno Libro sententiam suam complexus est, ut uestro iudicio, quibus statuendi potestas fuit, nihil plenius perfectius'que dici aut scribi uideretur. Quapropter cum minimè à ferendum putaretis, à sedato docendi munere hominem moderatissimũ ad iurgia & lites auocari, repressa aduersarij contentione, reliquum ei tempus liberum & uacuum ad cætera studia reliquistis. In quo pergratum ei fecistis, homini cum ab omni litigioso cõgressu

Liber Buceri contra assertionem Iungi.

alie-

alienisſimo, tũ in ipſo ardore aduerſario rum & diſputationis æſtu, ſedatiſsimo. Quæ res eo maiorem illi laudem afferebat, quo in meliori cauſa iuſtius commoueri incendiq́ iracundia poterat: eo fœdiorem maculã inuſſit aduerſarijs, quo in rebus ſępe leuiculis, aliquando etiam apertiſsimè falſis uocifetari, & clamores profundere impudentiſsime cõſuerunt. Sed hunc morem hic noſter non conuitijs inceſſans, ſed uerbis deplorans, à ſe quàm longiſsime remouetat: & ut ab omni liberorum colloquio ac chriſtianorũ diſputationibus abeſſent, magnopere & frequenter optare ſolebat. Siquidem hancunam dicebat prępcipuam peſtem aduerſariorum animos & ſtudia occupare, quæ uſq; eo ſenſus omnes uerborum temeritate obrueret, & mentis ac rationis lumẽ offunderet, ut cum in profundiſsimis erroribus demerſi iacerent, tamen ſeueritatem manibus tenere, & in ſinu conditam habere arbitrarentur. Veriſsime quidem, ut mihi uidetur, ſentiẽs cum ad perſpiciendum quid in quaq; re uerum ſit, nihil pacato tranquilloq́; animo

Aduerſariorum maximũ uitium

mo

mo accommodatius, nihil irato et incenso magis aduersarium esse queat. Nam ex eo fit, ut dum aduersarij cum clamore & impetu & conuitio, sæpe etiam ferro, flamma, cruce, ueterem ut aiunt, possessionem & maiorum ius tueri ac retinere uolunt, ardore animorum & pręcipiti quodam studio ad inanitatem & inscitiam deuoluantur, sæpe etiā in turpitudinem christiano homine indignam. Multa solebat noster Bucerus huius rei exempla proferre. Sed ego ex omnibus unum attingam, quod & propter rei ipsius nouitatem, et eius quem nominabat authoritatem, mirabile uideatur necesse est. Cuius enim iracundiæ est, sic disputando efferuescere, ut prius in manibus, quàm in uultu perturbationis notæ deprehendantur? Aut quem tu hominem existimes, qui cum amplissimi muneris procurationem sustineat, & regiæ Maiestatis legatus ad publicum totius penè Europæ conuentum consiliumq́ꝫ mittatur, non animi moderationem, sapientis consilij gubernatricem, sed alterius partis odio inflammatam cōtentionem

Stephanus Gardinerus quondam Vint. episcopus.

adferat. Hunc ego nominarem, nisi ita omnibus esset notus, ut nullus ferè nunc sermo in circulis uersetur, nisi quomodo ille se gesserit & gerat. Sed retulit mihi noster Bucerus, cum in Ratisponensi consilio, quo is mandato Regio profectus erat, permulta à grauissimis uiris sapientissime agitata & acutissime disputata essent, hunc præ cæteris omnibus (tametsi ad eum Conuentum aliquot præterea satis graues inimicitias secũ attulissent) sic furia quadam percitum fuisse, ut mente uix cõsisteret. Sic autem secum & cum Alesio rixari, atque ita conuitio incalescere, ut in dextra eius manu, inter pollicem & indicem, id quod Bucerus in nemine se dixit unquam animaduertisse, uena quædam intumescens, tam celeri & perspicuo motu palpitaret, ut omnes qui illum aspexerant, ad pugnandum quàm ad disputandum, ad arma quàm ad consilium paratiorem uenisse dicerẽt. Quod si idem semota iracundia, uel ipse per se considerare, uel ab alijs audire uoluisset, quid inter τυραννικὴν & βασιλικὴν interesset, nam de his sermo fuit, neque tum

Portentum in Gardinero.

ulla

ulla extitisset inter eos acris concertatio: & conuitiorum, quibus postea sanctissimum hominem concidit, occasio fuisset sublata. De quibus nihil dicam, nisi me magnopere dubitare, utrum Bucerus sanctior, moderatior, patientior fuerit, qui tot falsis criminibus commotus non est: an ille impudentior, qui non est ueritus in totius orbis oculis manifestissimum mendacium defigere. Nam profecto, si unquam nostris temporibus in ullo cōtinentia fuit, in Bucero fuit: quem is libidinosum senem in conuitiatore libello uocat, nos temperantissimum & moderatissimum hominem, sanctissimum uirum cognouimus, cuiusque uitam cum contemplaremur, doctrinam uirtutis assequi, uerba cum audiremus, ueritatis uocem in auribus nostris insonantem percipere solebamus. Quo utinam nobis licuisset diutius perfrui. Non uerendum sanè fuisset, ne pro temperantia uoluptates, pro mansuetudine iurgia, pro moderatis moribus, iratos & truculentos animos abstulissemus. Sed nunc siue nostro, siue suo

Conuitium Gardineri in Bucerum.

ſublatus uitio eſt, quod uel nos ad imitandum tardiores eramus, uel is ad docendum laborioſior et promptior, reuocare certe non poſſumus: pro uirtute tamen eius ſingulari optare licet, ut aliquid à ſtudijs temporis ſeiunxiſſet, atq; ad uires & ualetudiné cõtuliſſet. Quod ſi uoluiſſet facere, neq; illum tam inopinata mors, nec nos tam inexpectatus dolor attigiſſet. Sed hoc ſemper in ſummi uiri laudibus uitium fuit, quod ſe immoderatus maluit laboribus frãgere, quàm ullum momentum perdendo, ſuæ ſaluti & noſtræ utilitati conſulere. Nam quid commemorem huius prætergreſsi hyemis labores? quid nocturnas uigilias? quid matutinas excubias? quid perpetuas commentationes? cum uno tempore pluribus operibus ſatisfacere uellet, cũ idem & publicè nos doceret, & domi regnum Chriſti literis mãdaret. Qui liber, ſi cætera non eſſent, quòd eius à nobis diſceſſu multa deſideret, ſatis cauſæ habere debet, cur grauiter mœreamus. Continebat enim abſolutiſsimam & perfectiſsimam totius Chriſtianæ doctrinæ effigi-

Immoderatus Buceri labor in ſtudijs.

Liber Buceri De regno Chriſti editus.

effigiem, non coloribus expressam, sed lineamentis informatam: sed qui pulchertima specie prodijsset, si eius migratio conatum non impediuisset. Vniuersum de omnibus rebus proposuerat sibi erudire hominum cœtum, & in totum orbem diuulgare doctrinam iudicij & opinionis suæ: quod etiam antè prouocatus aliorum calumnijs fecerat, neq; apud nos destitit, licet afflicta ualetudine, fractisq; uiribus, idem usq; ad extremum spiritum facere. Quando enim illum uel ingrauescens senectus, uel temporum difficultas, uel obtrectatorum conuitia, uel debilitas, uel morbus retardare ac reprimere potuerunt, quo minus omnes uias quibus Ecclesiæ orbitati succurri posset, experiretur? Quis illum adiuit unquam, qui otiosum offendit? Quis conuenit, qui non melior uir discessit? Ipsa prandia & cœnæ sanctissimis colloquijs, eruditissimis disputationibus sermonibusq; refertæ. In hac ille constantia & perpetuitate studij, cum aduersante ualetudine perseueraret, cumq; nec amicorum consilijs, nec fidissimæ coniugis

Buc. prodesse semper uoluit.

crebræ hortationi parere uellet, et homo occupatissima mẽte atq; ardore incredibili perpetuo aliquid agendi, ualetudinem contemneret, cui nostram utilitatem semper anteposuit. Idibus Februarij in eum morbum incidit, qui mortem, quam secum annum iam amplius circumtulerat, paucis post diebus attulit: & quæ aliquot post annis maturiore ætate obrepsisset, nisi in operibus nimium festinans & properans, antè in medio spacio defatigatus corruisset, quàm cursum sibi propositum conficere potuisset. Graue nobis omnibus spectaculum, domesticis uero suis etiam luctuosum, cum summa totius corporis debilitate, eneruatis membris, afflicto uentriculo, ita perpetuo singultu cruciaretur, ut ægrè cuiusquam congressum colloquiumq; ferret. Non quod uel de humanitate erga nos, uel pietate erga omnes aliquid esset diminutum: sed sensit preclarus uir & omni seculorum memoria dignus, sensit extremum sibi diem imminere. Itaq; non iam cum alijs, quos omnes sciẽtia uincebat, sed secum ipse loqui ac meditari cœpit.

Tertius morbus qui finem uitæ attulit.

Taciturnitas in morbo qualis.

cœpit. Memini, cum M. Ioan. Bradfordus sanctus adolescēs, et huic nostro charissimus, singulari quodā cōmemorationis genere usus esset, et Christi seruatoris ac dñi nostri promissa explicaret, hortaretur'q; ut qui uir esset, cogitaret quid docuisset, qua semper constantia, qua fide, qua pietate usus esset, et ut tū precipue cū maxime urgeret, totā mentē, cogitationem, curā in Deū conijceret, esse unū qui nobis nostra peccata prestitit, qui à tenebris ad lucem, à desperatione ad spem, à morte ad uitam reuocarit: memini inquam paulò cōmotiorem esse factum, & ut uidebatur iracundius respondere, Se nolle mentem ab ea cogitatione in qua esset, cuiusquam sermone uel cohortatione distrahi: obseruari oculis Christum crucifixum, habitare Deum in corde, nihil meditari nisi cœlum, nisi celerem ab hoc corpore discessionem. Idq; tum multo magis cōfirmauit, cum medicorū hortatu iussus cibū capere, negauit se id facturum, q aliud uitę genus meditaretur. Sed cum illi instarent, ut cogitaret non sibi se, sed multorum utilitati esse

Vitæ huius contemptio in Buc.



natum: geramus igitur morem inquit. Ita summus & sanctißimus uir cum se intueretur, mori maluit quàm uiuere, quod eam quam expectabat, quàm qua fruebatur uitam, beatiorem cognosceret: ad nos cum respiceret, uitam poscebat, motus scilicet incredibili charitate, qua omnes sanctos & Christi Ecclesiam complectebatur. Quoties ego illum audiui deplorantem Germaniȩ uastitatem, idq; grauißimis uerbis, cum cœlum contemplans, à Deo opt. max. precaretur, ut & suæ gentis eum misericordia caperet, & non pateretur Angliam in ea uitia dilabi, quæ iam pridem Germaniæ cladem attulissent. Vereri se, quòd in tanto ardore multorum cognoscendi Dei & restaurandæ Ecclesiæ, cum disciplina deesset, qua improbi castigarentur, et ordo in ministerio retineretur, non posse diu bonos eorum conatus progredi. Hæc illæ sæpe quidem, sed tum uehementißim, cum extremo halitu Ecclesiam hanc nostram quasi filiam complexus pius pater, Regiæ Maiestati atque omnibus bonis commendauit, optauitq; nobis audientibus,

Charitas erga Ecclesiam Christi eximia.

NOTA.

tibus, ut quæ ad Regiam Maiestatem de disciplina Ecclesiæ scripserat, locum & sedem in hoc florentissimo regno, & sine controuersia Dei domicilio, reperirent. Sperare se, si id foret, nullam huic Reip. calamitatem, nullam deformitatem euenire posse: & timere ni foret, ne non tam paucorum studio restaurandæ Ecclesiæ Deus placari, quàm multorum improbitate & luxuria irritari uelit. Atq; hæc eius charitas erga uniuersos. Suæ constantiæ testes edidit breues sententias, quas ut commodum ei uidebatur, ad amicorum mentes confirmandas, & bona piáque de se opinione imbuendas, proferebat. Veluti cum Bradfordus, de quo ante mentionem feci, concionatum iret, seq́; dixit uelle in precibus eius meminisse, collachrymans, Ne inquit, abijcias me Domine in tempore senectutis meæ, cũ defecerit uirtus mea: tum addidit, Castiget fortiter, abijciet autẽ nunquam, nunquam abijciet. Raro quidem ille loquebatur, quod tota mente in Deum defixus erat, ægre etiam patiebatur alterius uocem: attamen ne tacendo stuporem

Liber Buceri de disciplina Ecclesiæ.

Constantia Buceri.

Psalm. lxxj.

nobis afferret, aliquando paucissimis uerbis, sed suauissimis et plenissimis consolationis, utebatur. Quemadmodum cum admoneretur, ut se armaret contra periculosissimum tempus, & contra diaboli impetum obfirmaret, qui tum maximam ei conaretur molestiam exhibere: Nihil habeo, inquit, cum diabolo commune: in Christo solummodo sum: Et, Absit, absit, ut nunc consolationes dulcissimas non experiter. Iam illud mihi prętermittendum non uidetur, quod medicis ac reliquis eius amicis

Defectus lunæ.

metuentibus, ne deficiente luna, uires quoq; ipsum deficerent, & morbi ui opprimeretur: cum postridie paululum recreatus uideretur esse uegetior, atq; ad eũ pro suo more uenisset Bradfordus, et medicorum timorem, solicitudinem amicorum, ex eo lunæ defectu ac cœli perturbatione explicasset, porrexisse dicitur tres digitos, et oculis in illud sempiternũ cœlum elatis: Ille, ille inquit, regit & moderatur omnia. Qua autem patientia, qua

Patientia in morbo.

magnitudine animi fuit, cum continuis acerrimisq; doloribus uteretur, omnes

qui

qui uerum fateri uolunt, commemorare possunt: nos qui cum eo magis afsidui e-ramus, tale mansuetudinis et tollerantię spectaculum perpetuum uidimus, quale ut crebro uideamus optandum est: et ue-rendum ne nunquam posthac simile ui-suri simus. Nullum auditum fuit eius la-chrymabile uerbum, nulla querela uale-tudinis, nulla uox significatrix doloris. Ita cõstanter et moderatè perpetui crucia tus immanitatem pertulit. Vitæ simillima mors, quam si noris, quomodo sit mortuus nescire non potes. Timidè mo ri nequit, qui uiriliter ægrotat: nec inui-tus discedit, qui abesse cupit: nec cui mors optabilis est, ei uita potest esse sua-uis. Sic uixit, ut nemo melius: ita est mor-tuus, ut nemo beatius: sic ęgrotauit, ut ne mo dolentem uideret: sic demigrauit, ut nemo morientem cerneret. Dignifsimus tali et uita & morte, quarũ altera glorio-sorum laborum plena, altera omni sensu uacua fuit. Etenim sic uitã cũ morte com-mutauit, ut ipse sua spõte quasi efflare a-nimam, nõ mortis uiolentia extortã, di-mittere uideretur. Vulnus attigi quod fecit

Mors beata Buceri.

fecit dolorem, sed ita ut causas quoque posſis uidere, cur fecerit. Nunc de luctu dicam, in quo si nos soli fuimus, ferendum, sin cum multis, lætandum etiam præstantiſsimi uiri funus à multis esse deploratũ. Sed quomodo, qua frequentia, quo genere, à quibus, id quoq; dicendum uidetur. Primum, quî potuit abesse mœror ab eius funere, cum quo exquisitiſsima doctrina in tumulum illata est? aut quomodo deesse sepulturæ honor, in cuius laudem omnes erant honores effundendi? Semper hoc usitatum apud omnes gentes, ut in clarorum uirorum funeribus omnis celebritas quæreretur: adessent amici qui exequijs darent operam: conuocarentur uicini, qui amicorum studium adiuuarent: ciues euocarentur, ut frequentia & comitatu funus cohonestarent: pompa in sepultura, quæ nec uulgaris, nec temporis causa constituta, sed & singularis & iure tributa esset.

Celebritas in funere Buceri.

In huius diuini hominis sepultura tantus est concursus omnium factus, tanta frequentia stipatum funus, is cõmitatus omnium generum ætatis, ordinis, ut uicini

Omnium erga Bucerũ mortuum beneuolentia.

cini non accersiti, sed sua sponte parati: ciues non aliena uoce euocati, sed per se effusi: honores non quæsiti, sed allati: non flagitati, sed condonati esse uiderentur. Neque tamen defuit amicorum uoluntas, & magistratuum diligentia, ut amplissimus Vir amplissimè supremo die suo efferretur. Siquidem à Procancellario mandatum, à præconibus edictum, ut omnia collegia adessent, in funere eum honorem mortuo tributuri, qui esset tantæ præstantię & uirtutis memoria dignus: ut quoniam is semper nostram utilitatem pluris fecisset quàm ualetudinem suam, & plurimis maximisq; ornamẽtis Academiam nostram affecisset, hac una in re, cum in alia non possent, quàm maximæ ei gratiæ haberentur. Hoc ita gratum omnibus fuit, ut tamen non inexpectatum neq; nouum. Vt autem esset ea celebritas quæ deceret, primum diem sepulturæ selegerunt, quo maxime populus uacaret: deinde locum eiusmodi, qui & frequẽtia celeberrimus esset, & ipsa specie atq; forma nostrorum templorum augustissimus: horam & à reli-

Dies & locus sepulturæ.

reliquis negotijs uacuam, et huic functio ni accommodatam. Eam cum instare campana significaret, ita subito cunctæ se familiæ eiecerunt, tantaq; concursatio fuit mulierculanum et puerorum, tam frequens uirorum cœtus, ut omnis illa uia, quæ est ab eius domo usq; ad templum Mariæ, quo funus ducebatur, omnibus ex partibus obsita oppletaq; teneretur: tanta autem singulorum admiratio fuit, cum propter exquisitos in eius funere honores, tum propter incredibilẽ oppidanorum frequentiam, uno in loco, uno tempore collectam, ut & noster luctus augeretur, quorum calamitatis tot essent spectatores, & illi misericordia commouerentur, quòd eam lugendi causam haberemus. Inde uerò perpetuum per agmen funus ad templum deductum est, cum quo tanta est ingressa multitudo, tanto concursu et iactatione, ut celerrime uniuersum compleretur, maximaq; pars coacta sit in ipso uestibulo & aditu templi consistere: ita ut ipse populus quasi ualuarum loco ad excludendum introeuntes oppositus esse uideretur. Hic quasi

ſi laudis prænuncij, ualuis ipſis affixi uerſus & numero & uarietate & elegantia conſpiciendi. Horum numeroſam prædicationem, poſito funere, præclara oratione ſubſequutus eſt noſter Haddonus, qua diuini hominis deſiderium ſic refricabat, ut multorum lachrymas, per omnium ora peragrantem mœſtitiam cerneres. Eā quod melius ex ipſius ſcripto, quàm ex meis literis cognoſci poteſt, eiſdem uerbis quibus ad me aliquot dies poſt perſcriptam miſit, interpoſui.

Epitaphia ualuis affixa.

D. Gualteri Haddoni oratio.

MVltæ fortaſsis auribus, nulla poteſt maior contra terrores mortis diſciplina percipi, quàm hoc ipſo præſente funere, luctuoſiſsimo quidem illo & ærumnoſiſsimo, ſed tamē ad communem naturæ noſtræ fragilitatem ponderandam aptiſsimo. Chariſsimi patres & fratres, patrem noſtrū & fratrem, excellentiſsimū doctorem D. M. Bucerū cognouiſtis uiuū, intuemini mortuū: uidiſtis hominē, cadauer cernitis: audiſtis Theolo-

Theologum præstantissimum, truncum sine sensu contemplamini, uiuus magister erat ad uitam Bucerus, idem mortuus præceptor sit ad mortem: uiuens & spirans assidue nos erudiebat ex Ecclesiarum & scholarum pulpitis Bucerus, nũc mortuus clamat ex pheretro, inuocat ex fascijs. Quid clamat? quid docet? quod fere nunquam meminisse possumus, cũ tamẽ semper in animo inherere debeat: Exuendam hanc mortalem uitam, induendam immortalem: deponendum presens & laboriosum tabernaculum, ut sumatur ad æternitatem perpurgatum corpus. Deniq; exeundum ex hoc seculo, ut transferamur in aliud: migrandum ab hominibus, ut iungamur Deo. Quæ si nobis omnia debẽt omnibus funeribus occurrere, singularis animaduersio in hoc diuinissimo præceptore nostro M. Bucero esse debet. Deus enim naturam eius omnibus doctrinarum luminibus & uirtutum ita compleuerat, ut unus nostra ætate dignissimus immortalitate uideri posset: recidit tamen ad cineres, ut surgeret ad coronam, & corpore correpsit

Funera quorum admoueant.

psit in terram, ut spiritu subuolaret in cœlum. Nos igitur, nos fratres & uehementer quidem allaborare decet, ut excellentissimi præceptoris nostri uitam imitemur, mortem expectemus, subeamus labores, consectemur præmia, toleremus contumelias, ascendamus ad gloriam. His itineribus præceptor noster antegressus est, eisdem uijs erit nobis subsequendum. Qua in re certioré ut cursum tenere possemus, utinam tempus & ualetudo mea ferrent, ut hunc uobis eximium uirum particulatim, & omnibus membris expingerem. Sed non licet: semimortuus enim de mortuo loquor, de familiari familiaris, amicus de amicissimo. Quapropter et morbus diligentiam impedit, & familiaritas minuit authoritatem, & amicicia uix aliquid conari sinit. Magnũ enim & planè incredibilem præceptoris nostri morte dolorem accepi, neq; dubito quin omnes acceperitis, quibuscumq; uera Dei religio & uitæ honestas curæ est. Non enim unus erat ex doctoribus plebeis, sed singularis ex omnibus Theologiæ principibus: nõ quem

Exemplum uitæ Buceri imitandum.

Singularis Doctor Bucerus.

multi laudare, sed quem omnes admirari: non quem omnes amici expeterent, sed quem uniuersi inimici reformidarēt: non ad quosdam Christianos, sed ad totum Christum: non ad certos homines, sed omne humanum genus adiuuādum natus & procreatus. Multum uideor dicere, tamen cum immensitatem eius bonitatis & doctrinæ animo colligo, superat eius doctrina meam orationem, uirtus etiam cogitationem. Sed de uita non loquar, quam licet propius aspicere poteram, propter meam interiorem cum eo consuetudinem, tamen nimis mihi longū esset: & amicus frustra laudarem, quod nemo unquam ausus est inimicus reprehendere. De literis hoc unum summatim ponam: Quæ in alijs singula singulis, ea in uno pariter uniuersa cōsedisse. Augustini fuit in illo acumē, Hieronymi linguarum uarietas & doctrina, disciplina Cypriani, Ambrosij authoritas, Origenis scientia, Chrysostomi in docēdo perspicuitas, Bernardi integritas in uita: uel hæc in illis priscis Ecclesiarum heroibus uberiora si fuerint (uti fuisse confiteor)

Buceri excellens doctrina.

or)tamẽ particulas ex omnibus excellen tissimas noster Bucerus tanto studio atti puit, tot ornamẽtis perpoliuit, ut si non unus cũ omnibus, tamen separatim cum singulis comparari posiit: aut in illo augusto ueterum choro si non præsideat, in hominibus nostri seculi, omnibus ex partibus inter alios emineat. Sed infinitas eius laudes oratione non sequar, ad quas pauci, aut ne pauci quidẽ peruenire possunt, imitationẽ eius uitę ac fidei uobis iterum atque iterũ diligentissime commendo, ad quas omnes se quantũ possunt, conformare debent. Quam ad rem si uita Buceri magnum momentum attulit, mors certè maius afferre debet, qui præsens & domesticus testis ante oculos iacet, præsentis uitæ occidentis, & futuræ nascentis. Bucerus si solus testis est, ne curetis: si maximus, contemnite. Sed Prophetæ mortui sunt, & Apostoli magnis & immensis cœtibus, si multitudo spectatur, si dignitas Dominus noster Iesus de gloria diuina se ipse depressit, ut non solum mortem,

ſed eam infamem & tetram oppeteret, ut primum communis mortis, deinde etiam æternæ uitæ in illo exemplum cerneremus. Primus igitur ad Chriſtum reſpectus eſt, quem Paulus primitias mortuorum uocat, quoniam primus uiam ex morte ad uitam nobis communiuit. Secũdus ad Apoſtolorum & martyrum cateruas, quos Dominus noſter Ieſus Chriſtus ex horum corporũ gurguſtijs, ad æternam perpetuæ fœlicitatis domum ijſdem itineribus euocauit. Tertius in hoc ipſo defigatur Doctore Martino Bucero, quem ad Apoſtolorũ ordinem aggregare poſſumus. Cum enim illorum in uita fidem & doctrinam ſequutus ſit, non dubito, quin gloriam in morte ſit aſſequutus. His igitur exemplis ita nos ipſos inſtruamus, & tam altè mentes noſtras exaggeremus, ſemper ut ſurſum ſint: tum enim fidentibus animis, cum opus erit, ad mortem gradiemur, & ad illam hæreditaté perueniemus, quã Deus communis noſter clementiſsimus pater, propter Ieſum Chriſtum omnibus reſeruat, qui ſinceris moribus & uera

Chriſtus primitiæ mortuorũ.

fide

fide ad illum confugiunt. Hæc cum ille depressa ac lamentabili uoce, & uultu tristiore dixisset, mirifica συμπάθεια omnium animos occupauerat. Quid multa? Quas laudes D. Haddonus ex inferiori loco & ad nostros & ante humationem mortuo tribuerat, easdem ex superiori loco, iustis persolutis humatoq; corpore, persequutus est D. Parkerus singulari orationis uarietate, maxima totius populi admiratione. Atq; ille non solum eas sibi partes sumpsit ornandi ac defendendi nostri Buceri, quas paulò ante D. Haddoni præocupauerat oratio: uerum etiam & gratulandi & lugendi modum rationem'q; præscripsit: Cuius neq; necesse mihi erit singulos locos attingere, neq; si id quidem maximè uellem, commode in hoc loco facere possem: omnino ut prætercam, cum ipsius singularis diligentia, tum amor erga Bucerum eximius, coëgerunt: quorum altero perfecit, ut omnia, si persequerer deformare eius scripta, non ad aliorum aures transmittere uiderer: altero & nobis detraxit solicitudinem, qui nostras uires contem

D. Parkeri concio uersa subijcietur.

nebamus, & cæterorum studia ac uolun tates adiuuit, qui uniuersum illius decur sum orationis cupiũt cognoscere. Vnum tamen prætermittere nullo modo pos- sum: cuius recordatio propter utilitatem prçceptionis semper debet in animis no stris inhærere: & in quo non maior puta batur uis ad reprimendas (quanquam hoc studiosè faciebat) quàm ad prouo- candas & extorquendas lachrymas in- esse. Etenim proposita primum fœlici- tate nostri Buceri, & collaudato sancto- rum cœtu, enumeratis præmijs, quibus uita integerrimè acta solet affici, uetuit nos sanctissimi uiri mortem lugere: siqui dem præclarè cum eo esse actum, qui la- boriosissima uita perfunctus, & plurimis deuoratis molèstijs, tanquam è flucti- bus in portum, è turba & colluuione ho minum, in sempiternam pacem & cœ- tum sanctorum receptus sit. Rursus com memoratis pœnis, quam impiorum ho- minum & non obedientium sceleribus infligit Deus, nostra'que ante oculos posi- ta tarditate, qui tam salutarem nuncium negligenter complexi sumus, quorum'que

Buceri in morte fœlicitas.

Nostra tarditas qualis.

è dis-

è diſſolutiſsimis moribus ſit ereptus ad conſe quétis grauiorem pœnam tempo= tis, iu ſtiſsimam eſſe oblatam dixit mœ= rendi lachrymandi'cꝫ cauſam: eamcꝫ ſi de labi pateremur, ac non omni mente & ſenſibus ad luctũ, lachrymas, ſuſpiria, ge= mitus conuerteremur, fore, ut obduta= tos noſtros animos non ferens Deus, li= cet iampridem ex huius morte magna ruina quatefeciſſet, multo tamé poſthac atrocioribus ſupplicijs ſit excruciaturus. Conſtitiſſe uidelicet eum quaſi præcipu= um quendam inter nos architectum, qui diem, qui horam nullam intermitteret aliquid ſemper comportandi, quod ad domum Dei ædificandam uideretur eſſe idoneum: nos, nos Cantabrigienſes par= tim temporibus aſſentientes, ad idem o= pus deuolutos eſſe, uix tamen ad unum lapidem porrigendum manum admo= uere: partim inuidia, cęcitate, et ueteribus ſuperſtitionis fecibus oppreſſos motus ciere, uim parare, qua fundamenta ſub= ruere, tecta et parietes deijcere poſsimus. Itaque alterius partis ſimulatam indu= ſtriam, odium alterius infinitum diutius

Bucerus architectus domus Dei.

πρόσκαιροι

Papiſtæ.

ferre Deum non potuisse: ac propterea hanc nobis pœnam sceleris si perseueremus, sin reuertamur & doleamus, medicinam erroris adhibuisse. Atq; ita uniuerso hoc loco in Buceri fœlicitate gratulationis, in nostra miseria luctus & lachrymarum copiosè sane, & acurate explicato: de præstantissimæ uirtutis & incomparabilis doctrinæ laudibus multa adiecit, quarum aliquæ partes à me paulo superius tactæ, ab eo fusissimè pertractatæ erant: quarumq́; ego umbram & speciem paucis uerbis sequutus sum, is eminentem & expressam effigiem dicendo erat assequutus. Quam orationē (quòd breui speramus in uulgus exituram) optamus etiam ut eorum manibus teratur, qui diuinis Buceri nostri laudibus fauēt. Nam ex ea nō solum afficientur uoluptate, cum in mentem redierit sanctissimæ comunctionis recordatio, uerumetiam multò magis lætitia efferentur, cum eius integerrimos mores, uitæ exemplum innocentissimę, authoritatis, diligentię, frugalitatis, modestiæ, continentiæ, omnis deniq; uirtutis imaginem oculis suis pro
posi-

positam uideant. Nam de inuidis non laboramus, quos cum nihil ita ęxedit, ut alienæ uirtutis prædicatio, eis neciu-cunda memoria, nec grata præstantissimi uiri imitatio esse potest. Sed de D. Parkero satis, cuius eruditam uocem malo te & reliquos ex ipsius scriptis percipere, quàm me referente cognoscere. Is igitur cum perorauisset, discessum est, & reliqua celebritas in posterum diem dilata. Quo die cum de more sacra peracta essent, nec satis magnæ optimo & sanctissimo uiro laudes tribui potuisse uiderentur, qui omnium studia & conatus exquirendarum laudum uirtute superaret: rogatus est D. Redmannus, ut quoniam authoritate & existimatione reliquis præire uideretur, uellet sibi eum locum sumere, et pro concione aliquid de clarissimo uiro loqui. Quod cum is se facturum libenter recepisset, sic processit, tanquam à quo populus aliquid egregium, pro ipsius pietate erga bonos, expectaret. Neq; is omnino in eo plebis opinionem fefellit. Siquidem ex eius oratione creuisse etiam uidebatur existimatio & gloria no-

D. Redmannus Bucerum laudat.

ſtri Buceri. Quæ quanquam uberrimam in ſe laudis ſegetem continebat, ita ut unam aliquam eius particulam ornanti, deeſſe oratio non poſſet, tamen eo magis tū ipſius uirtuti gratulabamur, quod ne is quidem, cuius interdum actionibus repugnabat, & à quo diſſentire putabatur, ullius rei uituperandæ aut calumniandæ materiem reperire poterat. Quapropter ſi hominum opiniones & iudicia ſpectes, florem attulit & ſpeciem ornamenti ſuperiorum oratio, huius uerò etiam defenſionem. Nam quæ à ueteribus amicis & omni ſtudio coniunctiſsimis proficiſcuntur, gratię nonnunquam & beneuolentiæ concedi putantur: ſed cui repugnes, ab eo prædicari & ornari, id uel ſingularis in te ipſo uirtutis indicium habet, quę omnem reprehenſionem effugit: uel laudatoris probos mores ſignificat, qui paucarum rerum diſſentione ſemota, reliquas nō ſolet debita commendatione fraudare. Vtrumuis ut fuerit, equidem pręclarè nobiſcum agitur, & cùm Bucerum in oculis gerimus, cui nihil uituperationis loco obijci potuit,

Defenſio Buceri, à diſſentiente.

tum

tum D. Redmãni probitati gratulamur, qui e nonnulla inter ipsos de arduis rebus discordia, iniuste eum lædendi occasionem noluit arripere. Nam hac mente, ut uidebatur, prodiens, tot laudibus nostrum Bucerum conuestiuit, ut si uspiam macula in eius uita extitisset, tamen his illius ornamentis obruta planè, deletáque fuisset. De quibus si roges, difficile mihi omnino est, eadem uarietate & copia, qua is erat usus, distributè, dispositéque repetere. Scis enim propositis quibusdam capitibus, si quid incurrat, quod ad rem augendam minuendámue pertineat, quod ad excitandum, deterrendum, obiurgandum, refellendum, commiserandum spectet, quàm mirabiliter id solet & magnificè tractari à nostris artificibus, præsertim in eo genere peritis, & uernacula nostra domesticáque lingua exercitatis, ut mihi instituenti ad te actorum quasi commentariolum aliquod scribere, non eodẽ sint artificio et ubertate singula exponenda, quæ ab illis, quorũ facta et dicta

dicta percenseo, explicata perpolitáque erant. Quare licet capita quædam degustanti, de reliquis coniecturam facere. E quibus sit mihi primum illud, in quo patrem se dicebat Bucero & Augustino laudem tribuere: quorum in utriusque libris, cum multa diuinitus conscripta reperiantur, tamen & à Bucero cum uiueret quæsiuisse, & ab Augustino si reuiuisceret quæsiturum esse, reprehẽdens neutrum, sed non utrique omnibus assentiens, planéque de multis dubitans, quomodo ipsi suas sentẽtias & scripta interpretarentur. Nam & in Augustini uoluminibus esse permulta cum structura uerborum impedita, tum sententiarum acumine, dicendi quoque ratione fortasse non nimium perspicua, quasi aliqua caligine offusa: et ex Buceri scriptis existere nonnunquam eisdem ferè de causis dubitationem. Licere igitur de utriusque nonnullis locis hęsitantem, ab utroque quid uterque uoluerit, sine contumelia sciscitari. In hanc sententiã plura: sed nihil præclarius, quàm quod idem uberrimè laudatis his Commentarijs, quos in D. Pauli epistolam ad

Comparatio Buceri & Augustini.

Rom.

Rom. & in Dauidis hymnos edidit, illud quasi corollarium adiecit: habere uidelicet eos in se tam plenã & perfectam undique doctrinam Christianæ religionis, interpretationemq́ tam luculentam & perspicuam, ut cum illorum ueterum augustißimorum hominum & uirorum doctißimorum monumentis, quorum iam multis seculis consecratæ literæ atq; artes fuerunt, quos'que religionis & sacrorum interpretes cuncti hos mille annos amplius asciuerunt, omnibus ex partibus conferri comparari'que posse existimaret. De reliquis, & gaudere se dicebat, quod in multis sibi à Bucero quum uiueret, esset satisfactum, nec dubitare, quin si longior ei uita suppetisset, pluribus esset satisfacturus. Itaq; facilè pati à pleris'que, uel omnibus potius, deplorari excellentißimi uiri interitum, sibi tamen affirmare propinquiorem eum dolorem esse, quàm cæteris, nõ solum quia charior eius uita esse cœperat, à quo tam multa didicisset, uerum etiam quod deinceps à quo discat, habiturũ neminem. Simul & illud dolorem auxisse suum, quod

Commen. in Epist. ad Rom. & Psalmos.

Redmanno a Bucero satisfactum in multis.

quod talem non obtrectatorem, sed au-
thorem conatus ac diligentiæ suæ ami-
sisset, qui & crebro eum domum inuita-
ret, & ad omnem congressum se huma-
nissimum præberet, hanc'que in præci-
puis eius ornamentis laudem repone-
bat, pluribus'que uerbis prædicabat,
quod non difficilis ad eum aditus, non
superba responsa, non insuauis, sed sine
aculeis sermo: tum humanitas, consue-
tudo, consilium, auxilium prompta om-
nibus, sibi uero etiam paratissima fuere.

Crebro ad se inuitauit Redmannum Bucerus.

In ipso colloquio mentem laudabat
simplicem & apertam, & sine fuco me-
ditatas defensiones, & in concedendo,
si quid dandum esset, facilitatem, in refel
lendo, si minus placeret, lenitatem. Om-
nino hoc à se animaduersum dicebat,
nunquam illum fuisse uictoriæ magis
quàm ueritatis cupidum, nec cuius in spe
ciem gloriosior responsio, sed cuius pro-
babilior esset, curasse, uictrix'que si trium-
pharet ueritas, se uictum æquo animo
tulisse. Postremo, nunquam eum adi-
isse, nunquam cum eo fuisse cõgressum,
quin melior, probior, sanctior uir dis-
cederet.

Facilitas Buceri in congressibus.

Veritatis magis quam uictoriæ cupidus Bucerus.

cederet. Nos igitur cum huius testi= monium habemus, quem nostro Bu= cero aduersarium, quem inimicum ple= ri'que putabant, quid Papistæ uociferen= tur magnopere curabimus? & cum Red= mannus Theologus laudauerit, quid Gardinerus iurisconsultus loquatur om= nino spectabimus? Sit huic Bucerus ho= mo uanus, mendax, nullius conscien= tiæ, nullius fidei: Certe Redmanno, cum frequentissima corona, doctissimis uiris audientibus concionem haberet, grauis, constans, sanctissimæ uitæ, nul= lius in se uestigium perfidiæ habere ui= sus est. Auocat Gardinerus, uel con= uitio potius abarcet ab Ecclesiarum mi= nisterio Bucerum: at Redmannus or= batum eius opera ministerium luget: Po stulat impudenter Gardinerus, ut sibi re= concilietur et redeat in gratiã: offendisse aliquem aliquando negat Redmannus. Certet igitur cum Gardineri impuden= tia, Redmanni uerecundia: huius mode= stia, cum illius conuitio: cumque infinito illius odio, spectata huius erga Bucerum beneuo=

Redmannus Gardinero & omnibus Papistis opponitur.

Gardinerus in Bucerum, postremo libro.

beneuolentia. Sed me quoque dices in-calescere. Equidem commoueor ab homine ingeniosissimo, & cum acumine tum etiam dicendi facultate præstanti, discerpi conuitio Sanctissimum uirum: quem nos ut patrem colebamus, ut præceptorem audiebamus, ut hominem nobis charissimum, cuiq; nos uicissim chari essemus, complexi sumus: & doleo in tam excellens ingenium tam deprauatum morem incidisse, quod alioqui modestia excultum, detractáque ambitione præiudicatæ de se opinionis nutricula, omnibus qui nostro hoc seculo excellentissima fuerunt, præstare facile potuisset. Sed hunc eadem labes oppressum tenuit, qua solent præstantissima plerumq; ingenia obrui: & quæ si Sacræ literę non essent, tamen uel unius testimonio Platonis euelli penitus è nostris moribus deleri'q; deberet. Siquidé præclare est apud eum, τυφλοῦται περὶ τὸ φιλούμενον ὁ φιλῶν. Quique se nimium amat, & suo assentatur ingenio, prauum se bonarum & malarum rerum, honestarum & turpium, falsarum & uerarum iudicem præbet. Pluri-

Gardineri ingenium.

φιλαυτία

Pluribus hæc affero, ut singularis modestia & timor ac circumspectio laudetur nostri Buceri, qui ita se non amauit, ut omnium sententias libenter audire, de omnibus in utranque partem disputare, non pertinacem & durum animum afferre solitus sit: sed quemadmodum ante dixi, ita se gerere, ut constituto quod uerum esset, æquo animo uel uincere uel uinci posset: ex altera parte notetur Garderi φιλαυτία, qui quam opinioné domo exportare consueuerat, quòd se falli non posse putaret, omninóque turpe uideretur coargui & reprehendi, eandem semper statuit, spretis & contemptis aliorum quamuis doctissimorum sentétijs, domum secum referre. Sed aliter facio, quàm de principio institueram. Siquidem acta solum exigui cuiusdam tèmporis decreueram ad te perscribere: nunc uerò etiam in eadem Epistola laudationem inclusi. Sed meum in hac parte errorém (si modo error sit ueras alicui laudes tribuere) subleuabit cum tua præstans ac diuina humanitas, tum omnium qui hæc nostra attingent, singularis in Bucerum amor

Excusatio ut ita transgressum.

amor. Qui cum eiusmodi fuerit, quem omnes amissum luxerint, quem amici requisiuerint, inimici laudarint, alieni receperint, sui semper præstantissimum iudicarint, nec horum in uiuentem pietas nō amari, nec meum in mortui uirtute renouanda studium uituperari credo poterit.

Epilogus. Funus habes, luctum habes, causas nonnullas quidem, sed nec omnes, nec maximas: tamen tam multas, & tam graues, ut si nullæ præterea essent, satis momenti habeant, cur nos in mœrore simus. Utinam mihi uel ea notitia daretur uel facultas, quā uniuersam eius uitam præclarissimè actam cognoscere, eámque literarum monumētis mandare possem. Sed breui tempore nobis cognitus fuit, & scribendi industria uana est, cum rerum propositarum excellentiam oratione assequi nequeas. Has igitur partes Germanis, hominib. doctissimis relinquo, apud quos cum diutissimè uixerit, facient pie, ut quoniam & norunt quomodo uixerit, & facultate præditi sunt, uelint Sanctissimi hominis uitam nobiscum communicare.

Studium Carri in Bucerū.

Ego

Ego pro ea facultate, quam mihi Deus largitus est, dedi operam, ut in eum uita functum, ingrati non uideremur, à quo uiuo plurimis ornamentis afficie= bamur. Vale. Cantabrigiæ è Collegio Trinitatis. An= no Domini, M. D. LI. Id. Mart.

ORATIO FVNEBRIS GVALTERI HADDONI, LL. Doctoris Academiæ Canta brigiensis Oratoris pręstan= tissimi, in laudem D. MARTINI BVCERI.



EMO VESTRVM PVTET me ita desipere, Spectatissimi uiri, ut tantum mihi arrogem, quasi per me BVCERI laudes (cuius perluctuoso funeri summa cum animi tristitia hoc tempore adsumus) pro illius excellenti doctrina, & uitæ anteactæ integritate memorentur, quin aperte & ingenue uobis confitear hanc mihi facultatem deesse, & excellentiam uiri longo interuallo superare mediocritatem orationis meæ. Nam si præcipua quadam doctrina, & ueterum Doctorum in Ecclesia Christi eloquētia propè singulari Hieronymus in Epitaphij cuiusdam exordio, quod in Nepotiani monachi laudem & cōmendationem confecit, Heliodori Episcopi suasu & rogatu, cogitur quàm primū in hanc uocem prorumpere, Grandes materias ingenia parua non sustinent: quàm multo iustius est me hoc queri, qui officio & beneuolentia, qua mortuum prosequor, adductus, hoc ipso tempore sustineo onus, simile quidem illi Hieronymi genere & natura: at grauita-

te

te & pondere longe portatu difficilius. id quod hoc pacto intelligatis. Fuit hic Nepotianus in Christiana militia omnino tyro, ætate adolescens, rerum usu & experientia parum potuit: & paulo ante uitæ exitum se auocauit à prophanarum rerum, & popularium negotiorum tractatione, ad monasticæ uitæ professionem sese conferens, & mox penè in pueritię limite corruit. At hic noster omnino extitit ueteranus & indefessus miles, multorum annorum spacio uersatus est in militia Christi, in qua nunquam terga uertit: sed eum fidei locum, quem in acie Christi tenuit, diligentissime & diutissime defendit, iam tandem occubuit, nimirũ ætate annis affecta. Iam uerò quod ad alteram collationis partem attinet, tantum abest, ut me Hieronymo compa rem, ut omnino hoc loco decreui tacere eius laudes, ob reuerentiam quam illi debeo, quàm uelim uideri uobis iniquissima comparatione nihil tanti uiri honori inseruisse. Non igitur me fugit, quàm difficile sit mihi oratione explicare, uel quàm egregie fuit doctus iste Pater in

Comparatio Nepot. & Buceri.

omni genere disciplinatum, maxime in disciplina Dei, quàm magno labore, intolerabili studio, continuis suis cogitationibus, diuturno usu et exercitatione hanc tantam cognitionẽ assecutus sit: uel quas molestias & difficultates multis his annis sustinuit in grauissimis Religionis nostrę controuersijs: quàm diligens ueri indagator, eliciens sententiam omnium, maxime doctissimorũ, in uniuerso Christi dominio, tum priuatim cum illis colloquendo, tum publice disputando in conspectu maximorum Principum, & amplissimorum procerum cuiusq; ordinis. Quantas habuit contentiones cum Papæ assectis, concertationes cum Anabaptistis, ut his omnibus argumentorum acumine se inuictũ præstitit? Porrò mentionem facere de uitæ puritate & sanctitate, quàm diligens fuit cultor omnipotentis Dei in Euangelio Filij sui: ut omnes amplexus est pietate & charitate, cupiens ferire fœdus cum omnibus, quatenus sua in Christum fides nihil detrimenti pateretur, et sua in Deum obedientia non impediretur. De his omnibus (dico) uere

Vitæ puritas & sanctitas.

co) uerba facere pro rerum dignitate, & uiri merito, procul dubio desiderat oratorem perfectum, qui hęc ornare posset dicendo: & eum familiarem, qui ob multorum annorū consuetudinem hęc & multo plura de eo perfectius nouit. Quæ admiranda Dei dona in hunc collata, licet uirulenta inuidia, quæ nihil propositi habet pręter contumeliam, hæc ludificatur, & cęcam ignorantiam delectat conuitijs insectari: tamen nō dubito, cum quiduis pro libertate sua gesserint, et euomuerint uniuersum uirus acerbitatis, non solū deprehendentur à posteris nostris, cum ingenti animorū gaudio & alacritate: sed etiam cōseruabuntur perpetua memoria cum debita consideratione gratiarū et beneficiorū Dei, qui proposuit Patrē tam perfectū omni scientia et uirtute, quasi illustrem solem supra montē Ecclesię, qui lumine suo & radijs tenebrosum hunc mundū collustraret, atq; omnē caliginē discuteret. Interea non dubito, quin omnes boni et religiosi uiri etiā atq; etiam apud se cōsiderare uelint, ingentē gratiā et misericordiā Dei, quā sibi per hūc oblatā

Contra inuidos calumniatores.

Quid bonis considerandū.

esse uident, ut hinc solatium capiant, & ad fidei perfectionem quotidie maius incrementum faciant. Non dubito, quin uera Christi catholica Ecclesia fateatur & semper agnoscere uelit, hunc esse inter præcipuas sui ædificij partes, quod totam rationem fidei & confessionem animaduertit tam optime cohærere fundamento illo, super quod construi ardenter cupiuit. Nam affirmo electam sponsam Christi perfectius dijudicare durabilem uenustatem & pulchritudinem electorum Dei: quamuis ad tempus latent spreti, & in omni contemptu crassis mundi circumfusi tenebris, & multis afflictionibus crucis Christi foris cooperti: nimirum ignominia, infamia, calumnijs, & quibus'uis contumelijs. Verum nihil his commouentur, imò uehementer exultant potius, quum quàm plurimos uideant, qui similiter his malis afficiantur. De
Coloss. iij. quib. sic scribit Paulus ad Colos. Emortui estis, & uita uestra abscondita est cum Christo, in Deo. Ad quorum solatium non omittit etiam mox adijcere, Quandocunque Christus manifestatus fuerit, ui

ta uestra

ta uestra, tunc & uos cum illo manifestabimini in gloria. Et quemadmodū magnanimus iste & fortis Christi miles libentissimo & maxime alacri animo, subijt cum Christo Domino ratam sibi portionem afflictionum, qui frequentissime apud suos, occasione data, hæc usurpare solebat, Non est discipulus supra præceptorem: sic oportet nos omnes, qui illum charum habemus, & in illo Dei beneficium agnoscimus, peruersum hoc mundi iudicium æquanimiter ferre; & leuiter æstimare, manentes diem extremi iudicij, cum illum denuo Deus attulerit. Non est malitia mundi, quæ diu stare potest ad obscurandam eius gloriā; quem Deus illustratum uult: nec nouum est impro bos inuidia æstuare in eos, quos Deus honore dignatur. Qui unquā peius audierūt inter suos, quàm sancti Prophetę? At qui hac Ecclesiæ ætate maiore in honore habentur? Toleremus igitur, cum uidemus non deesse qui uirtutem & doctrinam adspernunt, & conuitijs insectantur: ne commoueat, cum cōspicimus ueritatem inuisam, & multis modis iniurijs iacta-

Crux pia ferenda.

Matth. x.

tam: Sic enim persecuti sunt Prophetas
Matth, v. ante uos, inquit Seruator Christus. Quo
tus enim quisq; extitit unquam laude &
honore celebris, cui non in aliquo fluxu
ætatis hęc facilitatis & humanitatis offi-
cia præstitit mundus? Hęc ita esse fidem
faciunt infinita exempla non solum ex-
oticorũ Scriptorũ, et etiam religiosorũ,
qui semper fuere occupati in excogitan-
do aliquid utile huic ingrato mundo: sed
etiam eorũ, qui nunc pręcipua laude ag-
noscuntur inter Christi religionis & do-
ctrinę professores, quos nos assidue per-
legimus, & assentiendo probamus, ut
maximam laudem promeritos in Chri-
Origenis for- sti patrocinio. Vt è multis ueterum pau-
tuna. cos commemorem, Qua usus est fortu-
na Origenes sua ætate? cuius incompara
bilem doctrinam quid attinet pręedicare?
quam constat tanti fecisse Hieronymum,
ut eam concupiuerit cum summa eius
nominis infamia & secundum Aposto-
los nominat magistrũ atque doctorem
Christi Ecclesiæ. Attamen hunc tam cru-
deliter odit mundus, ut omnib. modis e-
laboraret ita prorsus abolerę libros suos,
ut ne

ut ne titulus quidem ullius supereſſet. At cum hoc effectũ iri non poterat, magis nefariam peſtem machinatus, infarcit in libros ea quæ non erant ſua, horrendos nimirum & monſtroſos errores, ad abrogandam illi fidem & extinguendam excellentis doctrinę gloriam. Adducamus in medium Auguſtinum, uirum non ſolum ſui tẽporis, ſed omni memoria quouis diſciplinarũ genere pręſtantiſſimum, & Theologum maxime inſignem, ut tamen illi detraxerunt impij Donatiſtę, & complures alij id ætatis maledici? Qui hoc ſcire cupit, tantum legat caput 6. Libri tertij cõtra Epiſtolam Petiliani. Quæ porro probra, impudentia mendacia, & falſa crimina commenti ſunt hæretici contra illum uenerandum Patrem Athanaſium? hæc habentur in 7. capite Decimi libri Eccleſiaſticæ hiſtorię: quod optarem ſtudioſos & eruditos omnes aliquo ſuccisiuo tempore perlegerent, quo ibi uiderent, cuiuſmodi ſit natura calumniatorum, quid acuminis & ſolertiæ habeat Veritas & innocentia, & quomodo

Auguſtini. Athanaſij.

modo Deus detegere solet mendacium & maleuolentiam, & quamuis detectæ, quomodo tamen non omittunt perse= qui sceleratum morem & institutum? At
Chry sost. aureum illud os Chrysostomi de se testa tur in tertia sua Epistola ad Cyriacum, quàm grauiter impuro ore et fœtido ma leuolórum dilacerabatur. Deniq; quan-
Hierony. tis contumelijs Hieronymum uexarunt inuidi & maleuoli obtrectatores, quas maculas turpitudinis uitæ suæ, quas ignominię notas singulari doctrinæ inusse runt, Epistolæ eius complures demon= strant, & una in primis, quæ habetur in tertio Tomo scripta ad Asellā Romanā.

Iam, si hoc sit in omni æuo usitatum quid, & quotidianum, ut qui in omni terrarum orbe uel optimi sunt, & maxi= me insignes, tam inhumaniter tracten= tur, ne nos despondeamus animos, nec ad uirtutis studium efficiamur tardiores, cum Præceptori nostro Bucero similia accidere animaduertimus. Quin potius cogitemus excellentiam uiri hoc magis clarescere, quo magis inflati uentres & fascinati inuidia moliuntur eius gloriam

subuer-

subuertere. Fœlicium & optimorum fuit semper comes inuidia, quæ cæteris dero gando præstare putat. Nulla hominum memoria unquam auditum fuit, quin uirtuti facessat negocium, non solum in promerentium laudem uitam exacerbatur, sed nec in morte quiescit: nisi quando Deus ex his sepultis nouos suscitat, per quos inuidia tenetur occupata. Itaq; licet inuidi nihil intentatum reliquerũt, quo famam & existimationem Magistri nostri lęderent, nec desistent adhuc recenter mortuo: confirmemus nos his uerbis Sapientis, Illos autem Dominus irridebit, & erunt ipsi decidentes sine honore, & in ignominia inter mortuos in perpetuum. Vera huius gloria & fama manebit, quando Episcopus Abrincensis, & uentres Colonienses cum Eccio, Maluenda & uniuersa huius generis farragine, pro illorum meritis, sepelientur sine honore cum contumelia inter mortuos in perpetuum. Atq; hæc dicta sint ad eorum solamen, qui ex uera animi pietate hic mœsti adsunt ob amicum et pręceptorem defunctum. Sed conueniret pręstantiam

N O T A

Sapien. iiij.

Buceri laus perpetua.

uitæ quam nobiſcum tranſegit,ſi diligenter (ut decet) conſiderauerimus,ſatis nobis erit argumenti, qualis fuit domi, ubi uitam egit quietius,integris uiribus, ualetudine bona,expers forenſibus negotijs: & illis ſeſe exercens,ad quę Deus illum delegit,ut talento,quod benigne & liberaliter in illum contulerat, omnibus prodeſſet. Hanc continuatam annorum ſeriem ipſe cogor præterire, unde uos latere non poteſt,quàm copioſa materies ſilentio prętermittenda ſit, quæ eſſet magni momenti ad amplificandum huius laudes. Non deeſt tamen pro tempore quo permittimur loqui,unde & eius uitę modum contemplemur,& omnipotentem Deũ celebremus,cuius beneficio et gratia hic noſter extitit talis,qualem referimus, et etiam de noſtra fortuna cõqueramur, qui tali ornamẽto tam cito priuemur q̃d nobis propoſitũ fuit uelut exemplar et dirigẽdę uitæ et progrediendi in doctrina. Qua occaſione ad nos acceſſit, eſt ſatis apertũ: ad quod'nã miniſteriũ Deus illũ finxit, & quomodo ſit illud perſecutus, perpauci ſunt è uobis qui non norunt. Occaſio Buceri acceſſus Contab.

Sed cum

Sed cum placuiſſet Regię Mai. ex mera & regali ſua affectione atque clementia, qua amplectitur hanc ſuam Academiam hunc nobis deſtinare, ob faciliorem noſtrum profectum in ſacra diſciplina, et etiam pio atq; prudenti conſilio, quo hunc, quem nouit rara diſciplina prȩditum, libentius nobis operam ſuam locare, inuitaret: ampliſſimum ſtipendium Lxxx. Anglicorum coronatorum, quod hic noſter percepit ex theologica prælectura, (merces olim cõſtituta à Sereniſſimo Rege octauo: qua etiam mercede ſimiliter donauit prælectores hebraicæ & græcę linguę) regia celſitudo & noſter clementiſſimus Dominus, qui nunc regnat, hoc ſtipendium cumulauit, & triplo maius efficiens, & huius nomine commendatitias literas ad nos tranſmiſit, manu ſubſcriptas illorum honoratiſſimorum dominorum, qui Regiæ Mai. ſunt à cõſilijs. In his ſuis literis nobis ſignificans Virum eſſe exquiſita doctrina, ſumma ſanctitate morum & uitę: propterea mandans ut eum omni comitate, humanitate & amplexu exciperemus. In hunc modum nobis com=

bis commendatus & designatus ad obeundum hoc tam sanctum munus, quantá iste diligentiá adhibuit, ut responderet Regię Mai. opinioni, quam de eo optimam concepit in tanta commissa eius fidei cura. Quos labores non exantlauit, ne aliqua in re uideretur muneri & officio suo deesse? Quanta animi cura & solicitudine prospexit, ut omnia administraret apud auditores suos ad maximũ eruditionis incrementum? Ita se humiliter etiam demisit, ut nostram scilicet auditorum minime prudentem sententiam requireret, quam'nam potissimum uiam & rationem sequeretur in suscipiendo muneris sui laborem. Tam pio fuit consilio in tractandis controuersijs maximi momenti, ut & eruditis omnibus doctiss. satisfaceret, & minus docti (qui semper esse solent maior pars auditorum) illius facilitate docendi discedere solerent satis instructi, percipientes quicquid cognitu illis esset necessarium. Quomodo solebat prudens & pius animus confiteri se in muneris functio'ne debitorem esse & doctis & indoctis? Paterna eius dile-

Docendi facilitas Buc.

lectio, & Christianus amor adeo instiga bat illum continue ad persoluendū hoc sua sponte cōfessum debitum, quoduis tempus, quamuis occasionem captans, publica lectura, extra eandem, domi priuatim, tum uerbo, tum scriptis, ut multo expeditior fuerit ad docendū quàm nos (quorum res agebatur) parati ad discendum. Quid dicam de modo & ratione, qua uti solebat in tractandis grauissimis religionis nostræ controuersijs? An non hic eius immensa & incomparabilis doctrina palam se prodere solebat? Quomodo enim primo in loco & potissimū conferebat inter se Sacras scripturas, & acri iudicio expendebat? in quibus plurimū potuit, quod in trium linguarum cognitione erat peritissimus. Atque has continere dicebat absolutam & omnino perfectam doctrinam, & nihil desiderantes, quod ullo modo ad pietatem & salutē faceret, quod non exactè tradunt. Nullus est error, quem non redarguere & corrigere ualent, omnino efficaces, ut homo Dei posset ex eis informari ad omne opus bonum. Proximo in loco quanta se-

Modus & ratio docendi Bu.

ta felicitate memoriæ inferre solebat con
fessiones ueterum Patrum & Scripto=
rum maxime orthodoxorum omni æta
te: has ita considerans, ut facile cerne=
ret, quænam essent illorum consenti=
entes sententiæ in quæstionibus fidei,
quænam etiam iudicia in accipiendis
Scripturarum testimonijs. Si in his men-
tiar, uos qui iam adestis, & tum eratis
eius assidui auditores, potestis referre.
Itaque si unquam Bucerus erat nomine
Buceri, certe Cantabrigiæ dicebatur Bu=
cerus, quod plenus erat doctrina, & per
spicuus docendi ordine. Atque has cau=
sarum tractationes non ignoratis qui=
bus cohortationibus ad piam uitam, qui
bus increpationibus ut commoueret ad
pœnitentiam, aliquoties in prælegen=
do condiebat, idque ea sobrietate &
modestia, ut authoritatem hominis
merito reuerebantur omnes: ardorem
animi ne ingrati contemnerent. Nec
esse potuit, quin Lectiones & cohor=
tationes essent pij fructus, & magni
momenti, quas exordiretur tam pijs

precibus, & concluderet ijsdem semper connectens Psalmorum argumenta, ut ordine sequerentur cum exposita materia lectionis in qua ageretur. Neque tamen doctior erat, & magis laboriosus quàm aliàs suspiciendus & prudens in moderandis publicę scholæ disputationibus: sed nimis hic haud dubie sese fatigans. Nam hic nimius labor, & ultra modum acris animi contentio in magnitudine hyemis (uereor) ne causa fuit nostri hoc tempore tam intempestiui luctus. Ea fuit animi conscientia in gerendo munere, is amor religione obstrictus, ut nobis cōmodaret, ut par esset Epaphrę, atq; adeo superaret, quod in Christi negocio ne minimam rationem habuit sanitatis & uitæ. Scholæ accessit cum primis, & mansit postremus. At si ea prudẽtia qua nos pollemus sibi indulgere uoluisset, uel fuisset tam tener & mollis, quales nos effici studemus, fortasis adhuc uiueret: sed minori ex tam breui tempore cũ nostro fructu. Egit moriens annum primum & sexagesimum: itaq; per ætatem licuisset illi lōgius uitam producere. Sed Deus

Laboriosus & prudens Buc.

Aetas Buceri LXI. an.

Deus ita breuem fecit, ob nostram indignitatem & ingratam diuini beneficij memoriam. Tantum abest, ut diem, uel minimam diei partem publicis lectiunculis & disputationibus præfinitam unquam omiserit, ut sæpenumero auditoribus suis anteuerterit, qui tamé ad audiendum accedere solebant ualde impigre. Tam æquus fuit æstimator & iudex inter personas agentes, ut minime unquã suspicaretur studere partibus, at fauere plurimũ rationibus atq; argumentis, quæ fuere momenti alicuius ad persuadendum ueritatem. Nunquam ex aliqua animi offensione alterius partis argumenta deprimens, quasi aduersaretur: nec amico & familiari quicquam concedens, si qua in re errasset, aut minus uerum sensisset. Atque hac æquitate, si quando à re proposita uagarentur, reuocabat, mansuete hortans, ut se in disputationis finibus continerent, et alter alteri mutuis uicibus foret attentus. Ad extremum, quo tandem eos disputationis molestijs leuaret, & uniuersis scholæ spectatoribus nonnihil prodesset, ea quæ inter disputandum occurrebant ob

Aequus æstimator Buc.

seruatu maxime necessaria denuo repete bat: tandē integrā causam, ut ueritas esset uíctrix, fuse ac late definiens. Eius grauitas nō ferebat alíquādo leuia & puerilia in rebus serijs, At si quis forte minus prudens (quod raro accidit) uix satis sobrie se gessit erga illū, mansit tamē ille perpetua & stabili cōstantia. Quod ad suū differendi morē attinet, is semper erat talis, tam in proponendo, quàm respondendo, ut in eo ne minima quidē suspicio regnaret uel gloriæ uel cupiditatis, de aduersario suo reportādę uictorię: sed pacato & tranquillo animo doceret potius, quid esset uerum, quàm de uerbis rixaretur unquā cum nouitijs Theologis. Et quamuis nō ignorabat quàm leui repulsu à se propellere potuisset uel grauissima eorum argumenta, in quib. sibi maxime placebāt, ad laudem et gloriā consequendā, qua iuuenes, ut hi omnes qui hanc uanitatē animi non represserunt, plurimū trahuntur: tamē is semper cogitabat, quid deceret uel grauitatem causę, uel suā personā, uel authoritatem loci atq; auditorum quorū iudicijs stabat. Itaque in disputando & do

Buc. uirtus in disputando.

cendo

cendo præbuit se uere Bucerum: & his respectib. ut præterea plurimis, amisit Cantabrigia suum Bucerũ. Hi tanti labores, tam continue sine intermissione suscepti & officio suo, et conscientię, & nobis omnibus satis superq; satisfecissent, nisi quod sibi aliter semper uideretur. Verùm tam inexplebili erat cupiditate celebrandi gloriam Dei, prędicandi uerbum eius, & consolandi electos, ut his officij regionibus & terminis se contineri non pateretur: quin uigilabat etiam semper ad multam noctem lectitando, scribendo, & libros componendo: quorum grauissima & difficillima argumenta, ut digna erant uiro tam acri ingenio, exquisita doctrina, & multa lectione: sic requirebant multo plus otij & quietis à laboribus. Ardor Buc. pro gloria Dei.

Nam ipse crebris interpellationibus quàm plurimorum nobilium frequenter cogebatur interrumpere sua studia, ut responsum daret illis in maximis causis fidei & religionis. Sed nec hæc externa & aduentitia negocia, nec superiora illa quæ dixi illi incubuisse à publicis lectionibus & disputationibus,

nec alia infinita detinuerunt illum ita implicatum, quin etiam concionaretur semper illis festis diebus, & Dominicis, quibus sciret neminé alium in publico Academię templo apud populum concioné habiturum. Et tam ardenter cupiebat, ut uos, scilicet populus grex Christi, diligenter pasceremini, ut de nulla re magis solicitus esset: tũ dolens, quod ipse non calleret patriam nostrã linguã, quo per se concionibus uos iuuaret: tum nos etiam exhortans, ut nobis maxime curæ esset, ne ex hac parte officio nostro deessemus. Ita ꝙ nec uos laici immemores esse debetis huius de uobis tam benemeriti animi: huic fertote acceptum, quod iam pridem toties conciones habuimus apud uos, cuius autoritate & suasu istud fecimus. Semper precatus est, ut nostrę conciones essent tam crebrę, ut inde ille excluderetur ex hoc suggestu. Ea uos charitate amplexus est, ut de nulla re magis unquam lætaretur, quàm cum nunciatum esset illi de concionibus, quibus uos adesse potuissetis. In quo pio instituto ut nos animaret, complurimis nostrũ, post con-

Solicitudo Bu. pro grege Christi.

cōciones habitas, maximas gratias agere solebat, ac si ipse cepisset inde fructū: sem per imbecilliores nostri confirmans con tra peruersa & impia iudicia quorūdam, qui dehortarentur ab hoc tam pie & uti liter cepto. Quod si quid à nobis unquā profectum sit dignum uestris auribus, hu ic in Deo gloriam tribuite, à quo quoti die prælegente nos omnia accepimus, ea dem uobis postea rursum communican tes. Itaq; hic erat, qui perpetuo apud uos conciones habuit. Nos, fateor, gessimus eius personam: sed ut in tragœdijs mali histriones solent, nonnihil corrumpen tes. Nam nihil unquam à nobis dictum sit, quod non multo melius ab illo dice batur. Itaq; æque utriq; nostrum desidera mus cōmunem nostrum Bucerū. Quod tam sæpe solicitare uel potius instigare nos solebat, ut pauperum curam habere mus, indicium nobis esse potest, quàm pia fuit importunitate, & quantopere illi curæ fuit, ut Deum & omnem uirtutem inter nos sereret. Hæc eius animi solicitu do & cura, non tantum spectabat ad Aca demiæ statum, quasi solum cuperet uel

Pauperum curam urlit.

doctis gratificari beneficio, uel ut iuuentus erudiretur in sacro & maxime laudabili Dei uerbo, quo in tempore indueret sibi Christũ: sed ad uos omnes oppidanos ex æquo pertinebat, quorum institutionem & utilitatem potissimũ considerabat in nobis docendis: cupiens nimirũ ut uos participes faceremus illius cognitionis, ad quam gratia Dei & huius beneficio adspiraremus. Huic animi solicitudini accessit cura de Politia & ciuili administratione oppidi, ut omnia in eo administrarentur ad utilitatem & conseruationem totius corporis. In qua consultatione erat adeo prudens, ut aliquoties ueniret mihi in dubium, utrũ dicerẽ eum doctiorem uirum, an prudentiorem ciuem: utrum uixisset in disciplinarum otio et solitudine, uel in strepitu ciuium & procurationе reipublicę. Itaq; quod ad me attinet, quantumuis magnã diligentiam adhibui, ut olfacerẽ quanta fuit uel ingenij sagacitate, uel disciplinarũ scientia: tamẽ perspexi eum ita uarietate literarum & ingenij reconditum, ut non audeo affirmare me unquam nouisse Bucerũ. Non uno aut altero die (ut maxima pars ho-

Buc: uir politicus.

minum solet) cognosci potuit: multo plura erant in eo, quàm uel libri, uel lectiones, uel disputationes quamuis diligentissimæ singulatim consideratæ exprimere ualebant. Erat, ut uno uerbo dicam, singulare donum Dei, thesaurus in profundissimis uenis abstrusus, incomparabile ornamentum. Non dico ista, testor Deum et conscientiam, ex nimio animi mei erga illum studio. Non dico, ut officio tempori & loco, in quo iam uersor, inseruiam. Non dico, quasi proposui non ad ueritatem loqui, sed ad gratiam eorum, qui ex naturali animi pietate hic tristes adsunt ob huius interitum. Meus sermo est hoc in loco patrius: at horum aures meæ uoci plane hospites & peregrini. Non magis dico ob Buceri laudem et commendationem, quàm ut præstem Deo debitum officium, & relinquā uobis testem mœstę cōscientiæ meę, & officij: quæ alioqui me incusaret, si nō cōfiterer Dei beneficia & dona in electo seruo. Non sunt hæ Buceri laudes: sunt Dei in illo. In hūc finem dico, ut uobiscū reputantes, quem'nā preciosum thesaurū

Buc. singulare donum Dei.

Laudes Buc. Dei in illo.

modo

modo inuenimus: & quam nunc iactu-
ram fecimus, magis Deo gratias agamus
qui nostra causa eum tam claris ornamen
tis illustrem reddidit: & confiteamur,
quantum debemus amplissimo Domi-
no, Regię maiestati, qui tam liberaliter &
munificentissime mercedem & benefi-
cia in illum contulit, ut illum nobis ac-
quireret: & fleamus immásuetos nostros
mores & ingenia, tum erga Deum, tum
erga Regiam Celsitudinem. Quæ fuere
causę, quod tam subito abripuit eum De-
us, non nobis solum Cantabrigiensibus,
sed toti humano generi: non à nostra na
tione & Germania sua, sed uniuersa natu
ra: non ab una aliqua Ecclesia, sed toto
orbe Christiano & uera sponsa catholica
Ecclesia hic militante, ad cuius utilitatem
& beneficium licuisset illi per Deum, uel
ipsius Dei honoris gratia, longius uitam
prouehere: maxime religionis statu sic
nutante. Potuisset uir tam multa doctri-
na & tanto usu & experientia apud mor
tales quàm plurimarum nationum plu-
rimum prodesse: sed (quod iterum dico,
nec nimis sæpe iterare possum) uitia no-
stra, &

ſtra, & ingens beneficiorum Dei obliuio
ponderata ad noſtram condemnatio-
nem grauiora extitiſſent, depreſſa lance,
quàm omnia memorata commoda ad
conſequendā gratiā. Itaq; uere prædice-
mus, Merito hæc patimur, quia peccaui-
mus in fratrem noſtrum: quod pro nihi-
lo putabamus cū uiueret. Qui hoc ſcrip-
ſit, Multitudo ſapientum eſt ſanitas orbis
terrarū, melius exiſtimare potuit, quàm Sapien. vj.
quisquam noſtrum, quantum ſit benefi-
cium Dei per huiuſmodi Respub. admi-
niſtrari. Et qui dixit, Præcioſi ſpiritus uir Prouerb. xvij.
eruditus, multo melius nouit, cur admira
remur & plurimi faceremus doctos ho-
mines, cum dantur à Deo: & dolore affi-
ceremur, cum rurſum occidant et auferan
tur. Sed ut explicem uobis aliquas cogita D. Haddoni co
tiones meas, quæ ſæpe ueniebant mihi gitationes.
in mentem, cum primum mihi nuncia-
tum fuit, quod iſte reliquerat Germani-
am ſuam, & proſpero curſu nauigans in
Angliam peruenit, cœpi mecum ſic cogi-
tare, quemadmodum Paulus olim de Roman. xi.
gentibus per miſericordiam Dei in ole-
am Iudæorum inſitis, ſcilicet per lapſum

illorum

illorum salus contigit gentibus: Et sic me cum locutus sum, Si reiectio Germaniæ est reconciliatio Angliæ &c. Quæ gloriatio iam denuo relaxatur, ad uanum & irritum redigitur, etiam in gemitum uertitur, ut incutiat nobis timorē: ut qui gloriatur in Domino glorietur. Iacturam pro eius magnitudine uobis exprimere non possum: grauius damnum patimur, dolor propius attingit, & magis ingemiscimus, quod ita prope ad nos accessit, ut facti fuerimus illi ualde familiares, & quotidie intueremur illum: & eius præsentia non magis exhilarabat eos, qui Deum & uerbum eius charū habent, quam uultus & nomen fuit terribilis omnibus, qui ubiuis degunt Papę mancipijs et Anabaptistis. In isto metuebant naufragium doctrinę suæ, qui ob continuam experientiam & cognitionem, quam habuit in eorum præstigijs & captionibus, omnes illorum magicas uanitates facile detegere potuit, & depingere diabolum sua uiua forma; quantumuis scite uel simulatione doctrinæ, uel prætextu humilitatis ex superstitiosa imbecilli animi conscientia

Iactura in Buc. ineffabilis.

periculis

periclitaretur se transformare in angelū lucis. Et hinc apparet, quàm minime leue damnum patimur nos Cantabrigienses, quod non procul absumus ab ijs locis, qui utrisq; his malis inficiuntur. Propterea conuenisset magis parati et ornati fuissemus cōtra hos impetus, & instructi ab aliq̃ ueteratore, quomodo cum his cōfligere, et telorū ictus à nobis ꝓpellere licuisset. Et ob hanc causam occasione loci & tēporis nō poteramus à Deo precari hoc Bucero hominē magis spectatū et ꝓbatū. Ad hunc semper accedere licuisset, uelut ad publicū quoddā armamētariū omni genere armorū refertū, quibus nos ipsos contra eorum uim texissemus & armassemus: et uelut ad q̃ddam absolutū et generale cōmentariū, in quo quàmprimū uidissemus quicquid fecisset cū omni cōtrouersia et causa omniū doctorū in Ecclesia cōspirantes sentētias, quas illi passim implicite & abscōdite in suis grandib. uoluminib. cōtinent, extemplo didicissemus, tū ad corrobarandā catholicę doctrinę ueritatē, tū ad respondendū ad quęq; difficilima, quæ ꝓponerētur in disputatione,
tum ad

tum ad infringendum & uelut contundendum omnes errores & αἱρέσεις quæ ab omni memoria inuecta sint in Ecclesiam, & à diabolo & eius membris, quibus tentarunt euertere optime in se cohęrentem Christi religionem, & Christi uestem dilacerare. Non erat solum Bucerus ab experientia & usu, quo ualuit in quibus uis cõtrouersijs sui temporis, nec singillatim dicendus Augustinus, uel Athanasius, uel Hieronymus, uel quisquam alius, quantuscunq; exercitatus in certis quęstionibus & causis sui temporis. Non erat, dico, hi singuli, sed coniuncti & uniuersi, & quasi generalis Epiphanius in controuersijs omnium temporum: atq; adeo ingens quoddam uolumen locorum communium, ex omnibus his collectum longo studio, & excellenti memoria. Hoc uolumen nos Cantabrigienses, deperdimus: quo egeni cogimur reuerti ad nostras priuatas bibliothecas: digni ob nostram incuriam & negligentiam, qui per nos sine huius ope quęramus in his, unde suppetat nobis defensio. Hæc omnia mala haud dubie & multo plura nobis

Donum Dei eximium in Buc.

nobis cum animi molestia consideran-da occurrunt. Esto quod mitigemus & molliamus hunc dolorem, quod in uita sua, temporibus statis per leges Acade-mię enarrans D. Paulum ad Ephesios, & extra hæc tempora prophetam Micheã, ex his occasionem arripuit tractandi & ad uiuum resecandi maximas & grauissi mas causas Christi religionis, eas scilicet quæ sunt de electione & gratia, de fide et operibus, de peccato originis & naturæ, de iustificatione, de abrogatione legis, de Ecclesia, & diuini uerbi in ea admini-stratione, de sacramentis, de disciplina, de officijs omnium ordinum, & simili-bus. Sed tamen magnam iacturam feci-mus, quod tum efflaret animam, cum re center esset ingressus in grauissimam om nium causarum controuersiam, materi-am, dico, COENAE dominicæ, in qua iam causa mortales tanta sunt in uarie-tate & dissensione constituti, tam capita li odio inuicem dissentiunt, ut quomo-docunq; in alijs conueniant, in hac una nulla talis ratio excogitari possit, ut alter alterum ferre uelit, & mutuo redeant in

Buc. materiam Cœnæ tractaturus obijt.

H gra-

gratiã, quin magis quotidie ingrauescat odium, tam fixe cõscientia cuiusq; adhæ rescit opinioni suæ, quam probat & defendit: ita ut sint ex utraq; parte, qui nec curant bona sua, imò nec uitam, imò nec animum, nec omnino quicquam in defensione sententiæ. Sic est hominum natura, ut quamcunq; opinionem semel atrepserint, eam pertinacissime studio uincendi defendant. Quàm igitur necessarium & utile fuisset, ut hunc saltem tamdiu retinuissemus, usq; dum plene discussisset hanc difficillimam causam, qui ob prudens & sincerũ eius iudicium in uerbo Dei, & diligens studium in exquirendis omnium ætatum sententijs, & continuam exercitationem, quam præ omnibus alijs hominibus habuit, maxime in hac causa, multo plus dixisset, quã quisquam doctorum hac memoria uiuens. Sed (ut semel iterum dicam) indigni eramus, qui diutius illum audiremus: & nequitia nostra multo secus meruit. In qua igitur causa claritas & lux fuerat maxime necessaria (at inerant obscurissimę tenebræ) in ea Lux nobis aufertur.

Si uno

Si uno aliquo respectu mœrere mihi liceat huius mortem, certe mœreo meo ipsius incommodo. In quod intuens Ecclesiasticus, sæpius cogit me meminisse hæc uerba sua, Fili, in mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare. Vt uota faciamus, esset nobis alter Bucerus in hac maxime causa omni ratione par, qui huic succedat: sic quàm bene speremus illum aliquando uisuri, uestris iudicijs relinquo. Nolo ego arroganter præiudicare Dei gratiam & uirtutem, quam posthac effuderit in eum, quem pro sua uoluntate uelit, ut sit uas sibi electum, Si quisquam uestrum, qui hanc à me audit commendationem, comparationem, & testimonium de Bucero, ea offendatur, & in furore atque iracundia quadam nominabit mihi nescio quem, quem placebit huic æquare, uel ex inuidia ita extenuabit Bucerum, ut comparatum cum suo docto, nullo numero esse uelit, uitandi contentionis gratia, nihil grauius & acerbius à me dicetur aduersus hæc magnifica uerba, & gloriosam Eccle. xxxviij.

H ij osten-

Modestia eximia Buceri.

ostentationem, quàm quod ipse Bucerus de se dicere solebat, SINT ILLI quantumuis docti & diserti: nihil iudicio me scire, quàm IESVM Christum, & hunc crucifixum. Hæc fuit illi peculiaris uox frequenter usurpata aduersus eos, qui de se extra modum gloriabantur, atq; illum infra modum minuebant. Christi cognitionem sibi uendicabat, sine qua omnẽ aliam cognitionem minimi putabat. Finis & scopus illius studij erat, ipse Christus per quem uiuebat, ob quem in morbum et corporis imbecilitates incidebat, per quem perfruebatur ineffabili gaudio & lætitia, per quem deposuit corruptibilem hanc uitam, & iam coniunctus sit illi in uita spirituali, ut permaneat cum eo in æternitatem. Et quomodo non moreretur is lætus in Christo, qui omnem suam cognitionem, omne ingenium & doctrinam totam applicuit ad docendum & gloria afficiendum Christum? Cuius tota uitæ ratio addicta & consecrata erat ad exprimendum eum crucifixum. Quo modocunq; delectat alios, exemplo Petri, in monte uiuere cum Christo glorificato,

cato, hic elegit potius inferius degere cũ eodem crucifixo. Omnes animi motiones & cupiditates cum Christo crucifixit, omnia uerba, omnes eius actiones cũ Christo mansuefactę sunt. Quàm ingentia illi solatia & spirituales consolationes suppetebant toto illo tempore, quo proxime ægrotauit: quo quidem tempore maxime nobis opus est Christo. Certi homines, qui illi semper adesse consuescebant, satis testificari possunt, quæ uerba habuit, quem dolorem sustinuit. Quo morbi spacio, ut sæpe aliàs ægrotando, multo plus doloris sentiebat, quod alijs in causa fuit doloris & molestiarum, & quod fungi officio, ad quod uocatus erat, nõ poterat, quàm patientia eius permisit illum conqueri de grauitate morbi. Amplificare igitur uobis huius laudes, & commendationem pro dignitate conuersationis & actæ uitæ, animaduertitis immensiorem esse campum dicendi, quàm per breuitatem temporis liceat mihi in eum semel ingresso rursum egredi. Quanta fuit charitate in pauperibus iu-

Buc. cum Christo crucifixus.

uandis pro suis facultatibus, interrogentur ipsi pauperes, & in carceribus uincti. Quantã humanitatẽ & lenitatẽ ostendit erga illos, qui uel ex imprudentia, uel maleuolentia parũ reuerenter de eius senili grauitate sentire potuerũt, uel in sentẽtijs discreparũt ab eo, uel conscientia, uel animi pertinacia ducti, dicant aduersarij: nõ hic poterunt tergiuersari quin presto adsunt, qui eos de mendacio arguant. Studebat in Deo placere omnibus, nocere nemini: benefacere ijs inprimis, in quibus animaduertebat aliqua argumenta & indicia uirtutis atq; doctrinę. Consolationem uerò et ędificationem, quam ex eius colloquio ceperunt domestici ac intimi familiares, optarem: quod ad me attinet, representarẽ uobis exemplo meo, quàm exprimerem uerbis. Sed tantus est cumulus Mart. Buceri laudum & commendationis, ut omnia particulatim nec me recensere, nec uos audire temporis angustię sinant. Non fuisset ita omni laude cumulatus foris inter homines, nisi etiã prius optimam honẽste et sobrie se gerendi

Studium Buc.

ratio-

rationem separatim iniijsset secū domi? Quàm simplex & moderatus erat uestitus? quæ in uictu temperantia et sobrietas? quoties & quàm multas gratias omnipotenti Deo agere solebat pro illo diurno cibo, quo modice utebatur? Quale fuit exemplum & Anglis pro omnium rerū copia & fœcunditate soli, quibus abundabant, & Cantabrigiensibus, pro Collegijs agnoscendi erga Deum uere liberalem officia sua? Hæc testantur tum multorum hominum mensæ, tum sua, ad cuius frugalitatem usitatum illi fuit inuitare quàm plurimos. Præterire me necesse est frequentes eius & continuas preces, priuatas ad domesticos adhortationes, rerum domesticarum piam dispositionem & ordinem: quæ omnia demonstrarent quantus & qualis uir fuit, uerus haud dubie Cornelius, religiosus ac timens Deum cum tota domo sua. Vt tandem finem dicendi faciam, obsecro uos (mei charissimi fratres) ne hæc de Bucero audiamus sine gratiarū actione erga Deū, nec sine prompta uolūtate

Vestitus Buceri

Temperantia

Preces Buceri

(est enim nobis summæ pietatis et uirtutis expressa imago) istũ imitemur, ut omnino persimiles reperiamur: neq; reminiscamur huius interitum sine deploratione nostræ calamitatis, ut discamus reuereri Deum, & uera pœnitentia inuocare misericordiam eius, ut deinceps denuo nos respiciat. Hoc illud est (persuasum habeo) quod à uobis iam expetit, nec aliter gratificabimur illius genio, nisi exprimamus in Christo eam uitam & fidem, ad quam ille exemplo uitę & doctrinæ nos allexit, & ad quos iuuandos omnem suam uitam & doctrinam destinauit. Propter hoc eius uitæ curriculum tam pie & recte perfectum, non immerito putabimus eum (licet humilitas animi noluit unquam dicere) potuisse dicere,
ij.Timoth.iiij. Certamen bonũ certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: quod superest, reposita est mihi corona iusticiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die, qui est iudex iustus. Qui det nobis omnem gratiam sic uniuersum uitæ cursum perficere, ut alij iudicent nos dignos

nos dignos, qui illic gaudeamus cũ eo, ubi ille perfruitur gaudio & ſempiterna felicitate in gloria Dei Patris, cui cum Filio & Spiritu ſancto ſit omnis honor & gloria, Amen.

CONCIO MATTHAEI PARKERI SACRAE THEologiæ profeſſoris, in Academia Cantabrigienſi procancellarij locũ tenentis, In funere D. MARTINI BVCERI, ex Anglico in Latinũ uerſa.

EX LIBRO SAPI-
ENTIAE CAP. IIII.

7 IVSTVS SI MORTE PRAE-
,, occupatus fuerit, in refrigerio e-
,, rit. 10 Placens Deo, factus dile-
,, ctus, & uiuens inter peccatores, trãs-
,, latus est. 14 Placita enim erat Deo
,, anima illius, propter hoc properauit
,, educere illum de medio iniquitatũ.
,, Populi autem uidentes, sed nõ intel-
,, ligentes, nec ponentes in præcordijs
,, talia. 15 Quoniã gratia Dei & mi-
,, sericordia in sanctos eius, & respe-
,, ctus in electos illius. 16 Condem-
,, nat autem iustus mortuus uiuos im-
,, pios. 17 Videbunt enim finem sa-
,, pientis, sed non intelligent quid co-
,, gitauerit de illo Deus, & quare mu-
,, nierit eum Dominus, 18 Videbũt
,, enim & contemnent eum: illos autẽ
,, Dominus irridebit, 19 & erũt post
,, hęc decidentes sine honore, & in con
,, tumelia inter mortuos in perpetuũ.



VAE CAVSA SIT, QVOD in hunc locum conuenimus hodierno die (fratres in Christo charissimi) in promptu est, ut longa oratione explicare nō sit necesse: sed rursus quæ ex hac occasione ueniunt consideranda, quàm porro iusta sit causa nobis, nobis (dico) Cantabrigiensibus fletus & lachrymarum, uereor, ne multi ob imperitiam non sentiant: quamplurimi cęca quadam inuidiæ maleuolentia deprauati minime soliciti cogitent. Flere de morte cuiuspiam boni uiri, quantum ad ipsum attinet, tum ratione prohibemur, tum etiam natura (ratione scilicet recta, & natura sincera, non deprauata). Et sane alienū est tam à charitate, quàm à fide. Nam si philosophi quidam ignari ueri Dei, frustrati ea spe, quæ ob oculos nostros quotidie uersatur, quamq; nos, qui in Christo uiuimus, auide sitimus, & quotidie expectamus, ratione dijudicarunt mortem nō esse deplorandam, & sententijs inter se consentire potuerunt, fas esse naturæ id repetere, cuius nobis usuram permisit ad tem-

Iusta luctus causa exponitur.

pus?

pus: Quam esset absurdum, nos in tanta Euangelij luce, inter tam certa et manifesta promissa beatissimæ illius conditionis, quam Redemptoris nostri beneficio post hanc uitam speramus, non æque rationi consentaneum putare? Imo in meritam reprehensionem incurreremus, si illis tantum pares sententia in hac causa reperiremur, & non potius compreheńderemus fide, causam esse nobis non modo non dolendi, sed illis etiam de sua felicitate supra quam dici potest gratulandi, ad quam quidem felicitatem ut nos etiã ipsi perueniamns quotidie uota facienda. Iam uerò quæ est ista charitas et amor, amicis optimam fortunam & felicitatem inuidere? hanc eorum uicem debere, quod post maxima maris pericula & tẽpestates in tuto sint, in portum salui inuehantur: uel quod ab acerbo et diuturno bello liberè domũ dimittantur, & inimicorum uictores redeant. Quæ illa dilectio esse potest, cum animi ægritudine aspicere amicũ perpessum multas & diuturnas acerbitates grauissimorum morborum, bonam recuperasse

Charitas non inuidet.

ualetu-

dinem: uel etiam angi, cum audiat è fœtulento carcere eũ quem amare se dicit, educi, ubi diu in fame & frigore concludebatur, duris cathenis & uinculis constrictus? Ecquis recte prętendere potest, se teneri amore alicuius amici sui, qui sit hæres magnæ alicuius ditionis, si hanc amico fortunam mœreat, quod tempus appropinquare uideat, in quo amicus amplæ pecuniæ futurus sit dominus, & magnarũ possessionũ hęreditatem aditurus? Est (dico) contra pium amorem, contra sinceram pietatẽ, deflere amicos, qui relinquant miserias huius uitæ, & proficiscantur in possessionem felicitatis & requiei perpetuo duraturã. Quid, quod etiam cum fide pugnat hominem Christianum deflere mortuum. Cõtra fidem esse quis negare potest, quod scripturę inhibent? Nam quî consentiat regulę fidei, quod scripturę apertissime afferunt ab ijs fieri quorum non est spes? Ea est inter fidem & spem coniunctio & necessitudo ut simul esse uelint: Is consensus, ea conspiratio, ut cui non adfuerit una, nec altera adesse uelit. Nolite (inquit) Paulus con

Fidei & spei cõiunctio perpetua.

1. Thess. iiij.

tristari

corũ interitũ nos plangere non uideant. Et istud sæpenumero male interprætantur, in hũc modũ cogitãdo, alicuius terre ne lucri & commoditatis causa gaudere nos. Cũ tamẽ ex fide solũ & ratione beatitudinis significamus nos cõstãtes in fratrũ nostrorũ mortibus, & omnino expertes istiusmodi fœminei plangoris, et puerilis infirmitatis. Et uerum est Ieremiam, qui multo grauior & certior est testis, nihil dare huic fragili nostræ infirmitati, sed perspicuis uerbis fletũ ꝓ mortuis in uniuersũ ꝓhibere. Nolite (inquit) flere mortuũ, neq; lugeatis super eũ fletu. Maiorẽ enim cõsiderationẽ habuit ille eorũ beatæ uitæ, qui ꝙ huius uitæ cursũ citius finiãt, hoc maturius perueniãt ad cõcupitũ gaudiũ: qua de causa hominẽ lactare noluit in tã uana fragilitate. In spũ illud ipsum uidit, ꝙd idẽ spũs Ioan. in Apoc. et palã fecit, & insuper mandauit, ut hoc ꝙd ei reuelatũ fuerat, scriptis traderet ad sempiternã memoriã, quasi uocem nõ ex terra profectam ad mensurã humanæ imbecillitatis, sed de cœlo delapsam ad iustam considerationem mortuorũ conditionis Ierem. xxij.

& sta-

mentis & lachrymis nos dare, nisi malle mus belluina natura prędìti, quàm ratio nis cõpotes censeri: Ethnici potius, quàm Christiani: inuidi quàm beneuoli: spe & fide inanes, non intelligentes conditionem nostram fœlicem, incerti de salute, quàm cõstanter credentes Dei uerbo, & omnes nostras affectiones, cogitationes, et actiones ad eius normã dirigentes imbecillitate nostra penitus superata. Verũ quomodocunque Scripturę quædam à nobis stare uidentur, atque probant modicũ fletum: quædã rursus flere omnino interdicunt, eo modo quo supra commemoratur: Sic alio sensu ingemiscere non solum permittitur nobis pro nostro arbitrio, sed etiam commonemur & prorsus iubemur, Fili in mortem produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare. Ipsemet sapiens, qui modo dixit, Modicum plora super mortuum, iam uidetur nobis iniungere non minimum plorare, & ad tempus: Sed producere lamenta, atque in longum tempus lachrymas profundere absit, ut cui tribuatur nomen sapiétis, opinemur uno eodemque libro sen

Conciliatio locorum in speciem pugnantiũ.

Eccle. xxxviii.

tentijs (licet capitibus nonnihil distent inter se) secum discrepare, & pugnantia pręcipere. Experiendum igitur nobis est, an sentétiam eius elicere possimus. At si suorum uerborum est sibi ipse interpres, audacter sine periculo eius iudicio adhęreamus. Hac ipsa sententia in qua sic scribit, Modicum plora super mortuum, quia requieuit: Iterum dicit, Supra mortuũ plora, deficit enim lux eius. Vt igitur sibi ipse consentiat, hoc uelit necesse est, quòd, quemadmodum respectu ipsius dolere non licet, quia fruitur requie: sic mutata ratione, nimirum consideratione nostri, qui priuemur luce, aspectu, et contemplatione eius morum, uitę, & excellentis doctrinæ, iustissimam et maximam causam habemus non solum dolendi, sed diutissime protrahendi luctum, quasi accipientes graue aliquod detrimentum, & iacturam uix tolerabilem. Et quò lux cum fulgebat illustrior erat, et ea re usus magis necessarij, hoc magis ista ratione præbetur materies lamétationi cũ mœstiore iacturę conétplatione. Quod lumen extinguitur in hoc Doctore nobilitato tum excellenti

Non respectu Buceri, sed nostri dolendum.

lenti

lenti doctrina, tum sanctitate morum & uitæ: quibus omnibus in ipso obitu maxime floruit. Quã ardens & lucens in his utrisq; enituit in Ecclesia Christi multorũ annorũ spacio? Et licet inuidia iam cęcutit & parum uidet ad solis conspectum, tamen inimici absq; magna infamia & dedecore cõtradicere non ualebũt, cũ de eo testimoniũ perhibebunt ij, qui uel quotidianã uitę consuetudinẽ cum illo habuerũt, uel obseruarunt assiduum eius & uehemens in illis rebus prouehẽdis studiũ circa quas ratio uitæ, quam sibi delegit, uersabatur: cuius rei gratia et testes certiores, & locupletiores censeri debent. Cuiusmodi sal se pręstitit castissima sua disciplina, tum uiua uoce prolata, tum etiam doctissimis eius scriptis in uulgus emissis testata: quam porrò exquisita fuit doctrina, & propè singulari: quanta uis orationis: quæ in sententijs pondera & grauitas, quibus omnibus studiose condiuit religionem, & ad suam uetustatem atque pristinum robur restaurauit posterioribus his seculis multis modis misere dilaceratam: Quamuis liuor sese indicat qua

Liuoris proprium in præcellentes uiros.

lis sit perpetuò erga illos, qui quadam sin gulari præstantia eminent inter cæteros: tamen nostra posteritas mox secutura uiderit, quàm iusta sit causa, cur æstiment inuidiam ut inuidiam, & plurimi faciant uirtutem atq; doctrinam pro debita illorum dignitate. Sed priusquam expendero hanc duplicem in eo gratiam, qua Deus illum maxime insignem & commendatissimum inter mortales reddidit, optarem, nos maxime, qui sumus ex Academia, quorum consolationi Deus pro sua clementia & fauore erga hanc Academiam iam labentem & propè cadentem ante præfiniuit, ut in maturitate & uitę suæ & doctrinæ apud nos ætatem ageret maiore cura & diligentia consideremus tremendum omnipotentis Dei iudicium in hoc proposito suæ uoluntatis, qui eum tam cito à nobis præripuerit. Hinc (certũ est) habituros nos nimis iustam causam acerbè ferendi eius obitum non sua causa, sed nostra: & non leui suspitione metuendi iram et ultionem diuinam in extinguendo hoc nobis tam optabile, et necessarium lumen: Sed apertè confitendi

cum

cum debita peccatorũ agnitione, & submissa pœnitentia, qua denuo placetur Deus, & nostri misereatur. Alioqui metuo, ne quid grauius postea sequatur. Auertat Deus, ut qui hic profiteamur sacratissimã Dei disciplinam, simus ita stupidi atq; sine sensu, ut hinc grauissimam Dei indignationem non animaduertamus, uel nostris commodis tantopere in uideamus, ut ista nihil cõmoueant. Tum illud nobis uere crimini daretur, quod hominibus sui temporis obijcit Ieremias Propheta de malitioso et manifesto contemptu Dei in illos animaduertentis, Domine percussisti eos, & non doluerunt: attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti. Et tandem non erubesceremus unà cum perditis hominibus ad Dei Prophetam hęc fari, Nolite uidere: & aspicientibus, Nolite aspicere nobis ea, quę recta sunt: Loquimini nobis placentia, uidete nobis errores. Auferte à me uiam, declinate à me semitam, cesset à facie nostra Sanctus Israel. Et cum eo processerit improbitas, impu- Ierem. v. Esai. xxx.

 dentia,

dentia,& durities nostra,nonne pro meritis hæc in nos prolata audiamus,Ecce relinquetur domus uestra deserta,Ecce uenient dies in te,& circundabunt te inimici tui uallo,& cingent te,& solo æquabunt te,& filios tuos,qui in te sunt,& nõ relinquent in te lapidem super lapidem: eo quod non cognoueris tempus uisitationis tuæ. Deus misereatur nostri,&c.

Math. xxiij. Lucæ xix.

Pertractare hoc unum grauissimum genus diuinæ castigationis, sublationem scilicet eorum per mortem, è quibus pendet gregis utilitas & tutamentum, & per quos populus conseruatur, sicut ex Scripturis colligere licet, patefaceret nobis indubitata argumenta, cur in hac manifesta Dei offensionis significatione nosmetipsos deploraremus: & raperet ad metuendum de nobis, & dolendum acerbe, nostram in Deo ἀχαρισίαν & ingratitudinem. Vnum huius rei exemplum cogitationi & memorijs uestris subijciam. Præponite ante oculos præfractum illum, semper murmurantem & duræ ceruicis populum

Castigatio grauiss. in præcellentium raptu.

lum Israëliticum, quibus Deus præposuit Mosen ducem & gubernatorem: & ut prætermittam illorum perperam factorum ingentem aceruum, & Dei etiam quàm plurimas uindictas, quas illis inflixit: & quomodo etiam eorum dux & imperator Moses præsto semper aderat ad auertendam Dei iram: cuius gratia & precibus, illis persæpe scelera remisit Deus: quàm præcellens rector fuit, quàm resplendens lumen illis se præstitit, tota ratio eorum, quæ in imperio gessit, abunde satis prædicat. Contra quem, ad magnum eorũ commodum à Deo principem designatum, conspirauerunt Corach, Dathan, atque Abiron, eum que despectui habuerunt, imò, sua potius ipsorum commoda, quibus per Eum gaudebant. Quàm grauiter tum in eos raram suam & insolitam ulciscendi rationem exercuit Deus, Aperuit tellus os suum, & degluriuit eos, & tabernacula eorum, & omnes, qui cum eis erant, descenderunt uiui ad inferos cum uniuersa supellectile. Numer xvi

Quod Dei horribile exemplum cum ad huc spernerent: & in fremitu suo atq; prauitate contra Mosen suum principem & dominum perstarent: ad tremendum exemplum omnium murmurantium in ultum, præsertim tam egregium qui ad singularem gregis (si aduertere potuissent) commoditatem, et consolationem dabatur, effecit Deus, ut ignis super illos subito decideret, quo uno die deuorauit uirorum quatuordecim milia supra septingentos. Deus tam horribiliter hanc seditionem in eos uindicauit, maxime, ut cõpelleret ad eius singularis beneficij agnitionem, constituendo Mosen super eos præfectũ et rectorem: arbitratus hoc supplicij genere redditurus illos magis gratos, & beneficio suo quietius gaudentes. Sed cum omnipotens Deus hæc supplicia minora esse, quàm ut per illa docerentur humanitatis & gratitudinis officia, post multa in illis corrigendis tentata, cogebatur in grauissima sua indignatione ulterius progredi, & ob illorum flagitia contraxit uitam Mosi, quod per illum noluit ut in promissam terram ducerentur.

Cessit

Cessit itaq; Moses uita, antequā uel unū pedis uestigium impressissent in ea. Verum quàm utile fuisset illis, si mansisset in uita ob grauem & senilem prudentiam, qua rerum usu & experientia plurimum ualebat? Quam idoneus ob sanctitatem uitæ, & pias cogitationes ad auertendā ab illis iram Dei? Quantum porro illis profuisset, in terram semel ingressis, ad usum sacrificiorum rituum & cęremoniarum, quas uel ore uel scriptis traditionibus apud illos reliquisset? Quā omnino necessarius, D. Matt. Bucerus uir præsertim omni modo perfectus ad promouēdam Dei gloriam? Nihilo minus tamen sustulit illum Deus: lumen, quod in illo fuit, extinxit, & noluit sub eius alis & umbra incederemus, indignissimos reputans, qui uel minimi participes essemus istiusmodi beneficiorum. Et si, (quod uerum est) quo grauius sit peccatū, eo acerbiorem meretur pœnam: non erit difficile tum iudicare, è quo genere sit uindictę, quod hoc tempore à nobis bonus pastor diuellitur, splendens lumen extinguitur, & nobis ea lux aufertur, qua periculo

Bucerus uir necessarius.

ſas & obſcuras huius uitæ ſemitas tutè incedebamus. Perpendamus iſta diligenter (chariſſimi) & ſimili in genere cum Iſraelis ultionis diuinæ doceamur iram Dei ex animo fateri. Antea nos difficiles & moroſos in hunc et Deum murmurando præbuimus. Hodie cum Iſraële ſentimus grauiſſimam Dei ultionem, qua nos propterea uindicat. Fuimus antehac ingrati & inhumani in accepto lumine huius tam præclari & excellentis Doctoris: ob id deletur. Ferunt, illum uixiſſe inter ingratos & immanſuetos peccatores: Itaque præripitur illis. Adhuc quidem ille uiuit: Sed ita ut cum Deo agat æuum, & translatus ſit à moleſtiſſimis huius uitæ laboribus, quos noſtra cauſa libentiſſime pertulit, & iam ſibi, & ſua cauſa requieſcit. Fauet illi Deus, quod ita feſtinabat è ſceleratorum cœtu et contubernio eum abducere: At nobis iraſcitur, quos putat indignos tali poſſeſsione. Si hęc diligenter in hunc modum conſiderata nihil mouent (quibus tamen ſcio non

Ratio mortuos pie lugendi.

minime

minime commoueri unumquemque pium) at grauioris causæ respectu est, cur hunc casum acerbe molesteque feramus: non mortuum (ut dictum est) ita dolendo, quasi mors esset illi malum? sed uniuersam doloris causam in nos transferendo: idque ex sententia Christi, qui noluit Hierosolymitanos illum lugerent, sed se & filios suos. Filiæ Hierusalem nolite flere super me sed super uos ipsos flete, & super filios uestros. Causam quare deflerent se et filios suos hanc ibi addit. Quia si in uiridi ligno (ait) hæc faciunt, in arido quid fiet? Ista igitur cogitatione, unusquisque nostrum qui hic adsumus, sibi caueat, & hac occasione sibi oblata ex huius optimi patris casu & interitu ad timorem adigatur. Nam si omnipotentis DEI recondito iudicio, & tamen iusto, tam acerbam sententiam contra suam familiam prolatam audiamus, ut illi de diuturnitate uitæ aliquid imminuere minetur: quàm propè imminet illorum exitus, qui Euangelio non credunt? Luce xxiii.

Si illi

Si illi, quem dũ uixit tam intime dilexit decorem domus eius, in qua ędificanda, reparanda, & quouis modo ornanda diligentissimus & maxime laboriosus structor erat, uita contrahitur, ut quiesceret à uehemẽti animi applicatione & studio, quo Dei ædificium promouendi efferebatur: quî fuit, ut nobis, nobis (dico) uitę longinquitatem polliceamur, quam nostri quidam traducunt otiosam? Vnde necesse est euenire, ut ex spolijs bonorum et patrimonij Christi crucifixi uictitent & sustententur. Quidam omni cogitatione, omnibus neruis et uiribus contendũt uiolare gloriam ędificij, et quantum in illis est muros subuertere, ut omnibus syluestribus feris, qui deuorent, spoliant, & crudelissime interficiant, pateat ingressus. Si hæc uiridis arbor, quę copiosum fructum reddidit suo tempore, et ad aquę riuum sata erat, irrigata uitalibus aquis, quas profunde hauserat ex fonte uitę fluente per solum exile et macrum aliorum, produxit fructum tam continuum, pium et durabilem, tum ad Dei gloriã, tum ad nostram consolationẽ et ęmulationem: nihilo

nihilominus tamen in hunc modũ florentem & frugiferam radicitus extraxit: quę fata nos manere dicemus, ficus plane mortuas & aridas, sine fruge, sine flore, indignos qui super hoc solũ quod pedibus calcamus, diutius moramur. Ille uerò erat haud dubie arbor uiriditate herbescẽte, & fructu ualde bono, et obid non prorsus excinditur, sed tantum de loco motus est, ut in amæniori solo collocetur. At quid de nobis iudicemus, tantum tribulos et carduos in uita ferentibus, & tamẽ quouis tempore irrigatis rore cælestis gratię & uerbi Dei? Cur non absq; ulla dubitatione timeamus, ne securi sententię diuinæ excindamur, & in iguem proijciamur? Intelligite inscipientes in populo, et stulti aliquando sapite. Intelligite hæc, qui obliuiscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat. Ne dicatis inter uosmetipsos, Patrem habemus Abraham. Dico enim uobis, omnis arbor, quę non facit fructum bonum exciditur & in ignem mittitur. Timete terribiles uoces Domini, Auferetur à uobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Pro- Psal. xlix. Math. iij. Math. xxj.

spice ti-

ſpice tibi Cantabrigia, cui Deus miſit prophetas ſuos, Sapientes & ſcribas ab ultimis finibus terræ: ne ueniat ſuper te omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram. Reſipiſce tu quę occidis Prophetas, & maledictis lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt. Audite, quod præterea ſequitur, Ecce relinquitur uobis domus ueſtra deſerta. Bonas ergo facite uias ueſtras, & ſtudia neſtra, & nolite confidere in uerbis

Iere, vij. mendacij, dicentes, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini eſt. Nam ecce uenit Dominus in ſanctis millibus eius, ut faciat iudiciũ aduerſus omnes, & redarguat omnes ex eis, qui ſunt impij de factis omnibus, quæ impie patrarunt, deq; omnibus duris quæ loquuti ſunt aduerſus eũ peccatores impij. Qui habet aures ad audiendum audiat.

ADHORTATIO AD preces.

Vt igitur uelum ignorantiæ cordibus noſtris detrahatur, & diſcutiatur ab oculis inuidiæ caligo: ut profunda cogitatione & conſideratione hunc triſtem caſum pro

ſum pro occaſione à Deo oblata confi-teamur: ut omnis uerborum acerbitas, omnis gloriatio, indignatio, maledi-ctio, obtrectatio, maleuolentia cum om-ni malitia abijciatur, coram Deo cle-mente, & miſericorde nos proſterna-mus, & pijs precibus ab eo miſericor-diam inuocemus. In quibus com-mendo uobis Eccleſiam Catholicam, Sanctam Dei communionem, ut cum digna confeſſione, & gratiæ atque donorum Chriſti ſponſi & capitis gra-ta acceptione, progrediatur in cogni-tione eius uoluntatis, & in Domini noſtri & ſaluatoris fide perſiſtat. Ora te inſuper pro omnibus ijs, qui per er-rorem atque infidelitatem manifeſto deprehenduntur extra Eccleſiam: uel qui hypocritica ſimulatione habentur de eadem, cum ſint reuera ſynagoga Satanæ, ut uocem Chriſti ſummi pa-ſtoris unanimes audiamus, & efficiamur unum ouile, unus grex, uno ore & corde gloriam tribuentes Deo patri domini noſtri Ieſu Chriſti. Orate pro Eccleſia Angli-

Pro Catholica Eccleſia.

Pro errantibus

Pro Ecclef. Regni. Anglicana & Hybernica & ambarum fu premo capite pxime à Christo illustrissi mo et clemētissimo Domino nostro, Re ge Eduardo eius nominis sexto &c. Po strermo gratias agamus pro fratribus no stris & sororibus, qui è miserijs huius ui tæ emigrarunt sigillo fidei signati. Pre

Pro seipsis. cemur etiam pro nobis ipsis, ut quemad modum patres ueteris testamenti uersa bantur in continuis uotis et expectatione primi aduentus Seruatoris nostri in car ne, ut abundantis benedictionis, quam certo cognoscerent illum adducturum, participes forent: & mundo patefactum corporeis oculis uidendi illum amore & desyderio capiebantur: Sic et nos sub No uo Testamento sobrie, pie ac iuste uiua mus in hoc mundo, acerrima cupiditate secundum aduentum manentes: & unà cum dormientibus fratribus plenam re demptionem corporum nostrorum eius glorioso corpori conglutinandorum si tientes, consociati Abrahamo, Isaaco, Ia cobo etc. inter quos uobis numero hunc præstantem & reuerendum patrem D. Martinum Bucerum, pro quo fidenter

gratias

gratias agamus Deo, quod in sanctitate requiem suã inceperit, quod pura & incorrupta doctrina super uerbum Dei, super confessam fidem Apostolorum, & Christi Catholicę Ecclesiæ fundata extiterit, huic uitæ & moribus cõstanti professione consentiens: quod permanserit fortis & immutabilis usq; ad extremũ spiritũ. Nam uenia misericordiæ & promissionis omnipotẽtis Dei audacter pronuncio eum in Abrahami sinu summa frui fœlicitate et requie cum sancto cœtu Electorũ Dei. Et hoc de eo affirmo, Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die, certissima scientia: ea nimirum, quæ proficiscitur à fide: Scio, quod cum Christus seruator noster prædicit se esse resurrectionẽ & uitam: &, Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, uiuit: rursum, Omnis qui uiuit et credit in me, nõ morietur in æternum: Scio (inquam) & credo ex fiducia quam habeo in Dei uerbo, & testimonio quod de eius fide, uita & moribus, & constanti nominis Christi usq; ad extemum uitæ diem confessione, quod quãuis dissoluitur ad tempus,

Notandum contra calumniatores.

NOTA

quod ad corpus attinet, tamen spiritu uiuit cum Deo, & nouissimo die in plausibili iustorum resurrectione rursum conglutinabitur, ut cum Deo tum corpore tum animo gaudeat & uiuat in perpetuum.

Hic factæ sunt tacitæ preces.

IVDICIVM CLARISSIMI ET DOctißimi cuiusdam Theologi de D. Martino Bucero.


MARTINVS BVCERVS FIDELISSImus Ecclesię Christi doctor, pręter reconditam eruditionem, copiosamq́ multarum rerum scientiam, pręter ingenij perspicaciam, multã lectionem, aliasq́ multas ac uarias uirtutes, quibus à nemine ferè hodie uincitur, cum paucis est conferendus: plurimos antecellit: hanc sibi propriam laudem habet, quod nullus hac memoria exactiore diligentia in Scripturæ interpretatione uersatus est.

D. GVAL-

10-4-A-8

D. GVALTERO HADDONO LEGVM DOCTORI Ioannes Checus. S. D. P.

EPISTOLA III.



ERVMNAE ET MISERIAE nostræ, quibus non modo quotidie iactamur, sed fluctuamus etiam, sunt magnæ leuationes ægritudinum & solatia morbi tui. Arbitror te nunc non modo in finem uitæ mortem intueri, sed etiam in finem mortis Christū, cuius siue uiuimus, siue morimur, serui sumus. Habes exemplū bonorum & religiosorū uirorū, quorum tu discessum diserta uoce lamentabaris, qui tibi aditum ad Christum communiuerunt, ut si cui relinquenda hæc lux esset, cuius usura nobis omnibus chara esse solet, non tot & nobilioribus hortationibus instrui posset, si uniuersæ antiquitatis monumenta euolueret, quàm tu ante oculos penè collocata habes: longitudo morbi, quæ multa præmeditatione sedatiorem omnem dolorem facit: frequens de morte & necessaria cogitatio, quæ istius uitæ oblectationes tollit, & puerilem

uitę ac uoluptatis sensum imminuit: magni et graues impetus morbi, qui uires frangunt, & te in meditationem mortis necessario deducunt: mors Buceri, cuius si dignitas uitę è mortis faucibus illum eripere non potuit, quid speremus de cæteris? quorum laus, etsi magna, maior tamen & dignior illius laus esse nõ potest.

M. Buceri laus maxima.

Sed quemadmodum pueri, sic tu fortassis, cum domo egredientes parentes uident, lamentantur, flent, petunt ut foras cum illis eant: serui, quorum uilia & domestica in ædibus opera sunt, ne petunt quidem ut domo exeant: quia illis neq; liberũ est petere quod impetrare non possunt, neq; sciunt quid foris agere debeãt, minime uel asueti ad externa, uel periti. Tu Bucerum præeũtem cernis, in discessu semimortuus clamas, non audit amicus, non abis quo uis: est qui audiat fortassis, et post parentem tuum te deducat, & interea quosdam morbi aculeos auget, qui dolorem tibi inurant, qui corporis quasi carceris tædium tibi iniiciant, ut animus liber & solutus, in cœlum quasi in domicilium subuolet, & his commu-

nibus

nibus & quotidianis ęrumnis, quę uitam humanam nimis moleste pręmunt, liberet. Hæc tu uidens quid aliud cogitas, quàm, pater domo egressus, me euocat, sequendum est: sic me uoluntas, sic natura iubet, sic Deus sapiens & bonus uult: cuius ego bonitatem sentio filius, sapientiam mortalis, pręsentiam creatura. Atmas te contra furorem carnis, quę si non sepulta prorsus, at fracta morbis est, et docet nisi ęterno architecto reficiente, corrigi inueteratum malum non posse, & quęrendum aliud domicilium quo migremus, cum ruinam huius imminentem et propendentem uideamus. Quanquam quid dico domicilium? regnum tibi, idq; hæreditarium, & amplissima ditio parata est, quam Christus amissam suis redemerat, culpa illorū pręstita, & spiritu donato. Hic tu fortasse: non omnes qui his cruciatibus strati iacent, continuo etiam de ualetudine desperare debent. Non est necesse certe, sed prudentiæ est ita in omnes parteis prouidere, ut ne quid necopinatum accidat, de extremis cogitare, de amissione non laborare, de meliore sta-

tu non desperare. Neq; enim uiuendum sine spe, nec moriendũ cum cura: ne uel uita misera sit, quę solatio spei egeat: uel mors acerba, cuius aduentu angamur. Duodecim enim horæ diei sunt, quibus expletis, sol occidit, non expletis, lumen mortalibus sua ui diffundit, nec ante occidit, quàm tempus à Deo præscriptum aduenerit: nec diutius hęret, quàm cursus illius designatus finis impellitur. Ne pilus quidem in terram cadit, sine cœlestis patris uoluntate, quo iubente defluunt cuncti, resistente consistunt: ut intelligamus uitam & mortem nutu & authoritate Dei gubernari, nec metuendum quod ille prouidet, nec fugendum quod affert, nec detrectandum quod iubet. Sed mihi ad hæc neque tempus propter occupationes, neq; tibi propter ualetudinem. Dabis igitur ueniam si hic sistam. Bene uale in Christo, Haddone. 19. Martij. Anno 1551.

Docto

DOCTO ET INTEGERRIMO VIRO, CONRADO Huberto, collegę & amico charissimo, S. D.

EPISTOLA IIII.



REDERE FORTASSE POSses, Huberte in Christo charissime frater, idemq́ue uenerande Collega, quòd ad te hactenus minime scripsestim, tui memoriam ex animo meo deletam. Verum istud caue putes, si quid in te Christianę charitatis reliquum est, ut multum esse confido: & de tua erga me singulari beneuolentia nihil immutatum esse arbitror. Antea sane non scribebam: quia uiuebat tuus, imò meus Bucerus. Ille (cõpertissimum id habeo) non deerat officio: ad te cum primis, & ad alios in Christo fratres Argentinen. perpetuo scribebat: & mihi subinde, ut amantissimus collega, quę agerentur per literas indicabat: quare cum ab eo istud genus officij quàm diligentissime obiretur, mea opera nõ opus esse iudicaui. Verum nunc il-

le ad Deum nostrum, & Christum IE-
SVM in pace migrauit, communi omni
um bonorum luctu & incredibili mœ-
rore. Adeo sum ob illius mortem fractus
& consternatus, ut plusquàm dimidia
parte mei, & ea quidem potiori, mihi ui-
dear mutilatus. Quam ob rem ęrumnis
& lachrymis penè conficior: & præ do-
loris acerbitate me amplius apud me ip-
sum esse nô arbitror. Obijt ille pridie Ca
lend. Martias, qui strenuè bella Domini
permulta uicit. In pace Deus illum ad se
uocauit: neq; passus est, ut in manus ini-
micorũ incideret. Felix ille quidem nunc
est; sed nos deflendi sumus, qui casibus
grauissimis, & miserijs infinitis adhuc su
mus expositi. Deus hunc nostrum nun-
quam satis laudatum patrem atq; docto-
rem ad aliquod tempus dedit commo-
dato: modò cum illi uisum est ad se reuo
cauit. Nostrum est iudicia eius non accu-
sare, sed ad misericordiam eius prouocã-
dam, precibus omni studio atq; conatu
inniti: hoc intentis uotis petendo, ut pro
militibus emeritis, quos per mortem ex-
authorare subinde pergit, strenuis rursus
bellato-

bellatoribus iam uacuas acies expleat. O me miserum, dum Bucerus in Anglia fuit, aut in Germania simul uiximus, nunquam mihi sum uisus exulare. Nunc plane mihi uideor solus esse desertus. Habui hactenus fidũ comitẽ in hac uia, qua pariter atq; coniunctissime ambulabamus. Modo ab homine unanimi, & qui uere secundum cor meum erat, morte amarissima, quæ intercessit, sum diuulsus. Vere manus Domini tetigit me. Viuit ille, ac suorum laborum fructus dulcissimos percipit. In meliorem uitam est à Deo transplantatus: charos reliquit, sed à charioribus in æternis tabernaculis exceptus. Quod erat putridum et corruptibile abiecit, et immortalitatis æternę stolam induit. Ah quàm ille perpetuo Argentinẽsem Ecclesiam in ore habebat? quas pro ea curas gerebat? licet procul esset, & quo ad corpus ab ea uideretur disiunctus, erat tamen spiritu (credas mihi uelim) semper uobiscum. Venit ad me huc Oxoniũ elapsa æstate, atq; in domo mea per undecim dies fuit: qui sermones? quæ confabulationes de uobis omnibus optimis in

Christo fratribus intercesserunt: Dum unà loqueremur, in medio uestrum Argentinę uidebamur nobis agere. De reditu cogitabamus: uerum ille me anteuertit, & non in Argentinen. nostram, sed in auream cęlorum Ecclesiam se recepit: illa est nunc æterna sedes & beata domus à Deo illi concessa, unde nulla unquam ui poterit eijci: neq; ulla ratione uolet emigrare. Deum immortalem precor, ut cum illi fuerim in uita coniunctissimus, non diu me patiatur ab eo per mortem diuelli. Alia complura sunt quę liberet ad te scribere, uerũ doloris pondere ita premitur animus, ut etiam grauetur manus, et cum uires ad scribendum ulterius non sufficiant, precor, ut mei sis memor: & quando non es amplius ad D. Bucerum scripturus, me tuis literis quandoq; refice atque recrea. Et literas quas hic inserui uenerabili Capitulo S. Thomę nomine meo reddas, omnesq; Collegas in Domino salutes. Deinde D. Hedionem atque Theobaldum Nigri, necnon Iohannem Garnerium Ecclesię nostræ peregrinorũ optimum pastorem. Vxor mea & Iulius

te tuam'q; familiam omnem salutant. Opto te in Christo bene ualere,& fortiori animo ferre casum D. Buceri, quàm ego ferre possim.
Oxonij. viij. Martij
Anno 1 5 5 1.

Non sine honore humatum est sanctũ cadauer: tres enim Doctores, magna facundia,et ingenti spiritu funebres in eius funere habuerunt orationes: omnis'q; turba tũ scholasticorum, tum ciuium in exequijs affuit.

Tuus ex animo
Petrus Martyr.

EPIGRAM-

EPIGRAMMATA VARIA CVM GRAECE TVM LATINE

conscripta, in doctißimum & sanctiß. Theologum D. Martinum Bucerum.

IN MORTEM PATRIS VENERANDI D. MARTINI BVCERI Epitaphiũ Henrici ducis Suffolciensis.

VITA Suauis erat multis, uiuente Bucero,
Vita peracris erit multis, moriente Bucero.
Voce Dei docuit delectauitq; Bucerus,
Morte docet, uita docuit CHRISTVM esse sequendum.
Talia discenti nec mors nec uita nocebit.
Hæc pius hic docuit uitaq; & morte Bucerus.
Plangite tam clarum patrem, uitamq; sequendo
Fingite: Sic cœlum capiet, quos terra tenebat.

IN EVNDEM Caroli Brandoni fratris Ducis Suffolciensis.

ET puer, extinctum cogor deflere Bucerum.
O utinam lachrymæ possent reuocare Bucerum.
Sed dolor hic frustra, potius peccata dolendum
Nostra: Deus nobis iratus sustulit illum.

Plecti-

Plectimur, & merito, rapitur super astra Bucerus,
Elysijs fruitur campis, pius ille triumphat.
Nos gemimus casum: nam nos miseri sumus omnes.
Solus enim fœlix qui corpore liber abiuit.
Anglos ergo puer doleo, bene nanq; Bucero est.
Ille uiget fœlix, miseri nos uiuimus omnes.
Corpore uexamur ualde, manet ille quietus.
Et sedet in regno CHRISTI, *cœloq; locatur.*

In eundem Dom. Ioannis Sheffeldi.

Vita quæ Christum sapit est beata:
Vita sed Christum sapuit Buceri:
Ergo ter felix fuit & beata
Vita Buceri.
Qui DEO *fidens moritur, beatus:*
Occidit fidens Domino Bucerus:
Mors fuit felix igitur Buceri
Vltima nostri.
Vita erat felix, fuit & beatus
Morte, quis totum neget hunc beatum?
Quis neget talem merito tenere
Sydera cœli?

In eundem Ioannis Checi.

Vita grauis misero, grauior mors: sed tibi tanto
Mors nec uita potest esse Bucere grauis.
Vita fuit Christus, mors lucrum, uiuere cessas
Naturæ, at Christus uita perennis adest.
Alma fides Christi, quam tu super astra ferebas,
Te super astra eadem sustulit alma fides.
Cumq; tui mores, pietas, doctrina probentur,
Mors tua non grauis est, & grauis est eadem.
Mors grauis est nobis orbatis Lumine tanto:
Non grauis est tibi, quæ uita beata tibi est.
Doctrinæ studium, uitæ constantia, mortis
Exitus, ô idem sit mihi CHRISTE *precor.*

In eundem Antonij Cooci.

Bucero nocuit, nocuit præsentia Paulo.
Non oculus sed mens optima quæque uidet.
Corpore sublato, tantum diuina supersunt:
Hac Martine tui parte perennis ades.
Gratus odor CHRISTI, *mors, uita & scripta, labores,*
Non peritura die, stant monumenta tui.

In eundem Gualteri Haddoni.

Germanis ô flende tuis, ô flende Britannis,
Omnibus ô terris flende Bucere iaces.

Te scho-

Te schola nostra suum desiderat orba magistrum,
O schola sublato debilitata duce.
Membra quidem Christi sunt nobis multa relicta,
Sed caput his membris quod fuit, illud abest.
Et caput excellens, quo toto doctius orbe
Non fuit, & non est, nec fore credo potest:
Vita fuit similis doctrinæ sancta probatæ,
Vtraque laus illi propria semper erat.
Summe Deus lucem nostris infunde tenebris,
Pectora scripturis, imbue cæca sacris.
Qui fuit & tuus & noster, nunc desijt esse
Noster, & in cœli parte Bucerus inest.
O Martine uale CHRISTI præclare minister,
O Cantabrigiæ gemma Bucere, Vale.
Est tua conditio felix, qui fecibus ægri
Corporis abiectis, gaudia mentis habes.
Nos miseri, nostro qui te pastore remoto,
Ibimus incertis inscia turba uijs.
Tu Deus ô nostri communis pastor ouilis
Martino similem præfice quæso uirum.
Sic simul in cœlo ciuis potes esse Bucere,
Et simul in terris esse Bucere potes.

APOCAL. XIIII.

Beati mortui, qui in DOMINO
moriuntur.

EIS

ΕΙΣ ΤΟΝ Μαρτίνου Βουκήρου Ἐπιτάφιον τοῦ Νικολάου κάῤῥου.

Τίς οὗτος ἐστὶ τύμβος;
τίς ἔνδον ἐστὶ νεκρός;
Βρέταννος ἐστὶ τύμβος,
Γέρμανος ἐσθ' ὁ νεκρός.
ἀλλοτρίῃ τι χώρᾳ
ἀλλότριος τέθνηκε;
ὁμίδιοι σύγουσι
ἀλλότριοι δέχονται.
ποῖος μὲν οὖν; προφήτης.
τέχνην ποίην μαθήσας;
θέαν θεῖος θεοῦ ὤν.
τί οὖν φυγὰς παρορμᾷ;
φεύγει ὅπλα κρατοῦντος.
τί οὐ θέλε προθύμως
θεηγόρος προφήτης,
θεοῦ ὑπὲρ τεθνᾶναι;
μιαιφόνους ὀλέθρους
μία σφαγὴ θανόντος
οὔπω παύειν δύναιτο.
καὶ δὴ ὑμῖν τι καλὸν
αὐτοῦ πόρει μάθημα;
βίου βίον κράτιστον.
οὐδεὶς φθόνος λέγοντι.

καὶ δὴ

καὶ δὴ κακὸν κρατοῦντι
ποῖον τοῦ ἐκβαλόντι;
οὐδὲν κακόν. γένεσθαι
ἄνδρ' ἐσθλὸν οὐχ οἷός τ' ἦν
χρὴ οὖν λέγειν τἀληθῶς
κεῖνος βαρὺς ἐλαύνων
ὑμᾶς πρᾶοι δ' ἔχοντες.

TOY αὐτοῦ εἰς τὸν αὐτόν.

Τί ξένε θαυμάζεις; χθόνιον πρὸς τὸν χθόν' ἰόντας;
παύε δὲ θαυμάζων, οὐδὲν ἀηθὲς ὁρᾷς.
ὥσπερ γὰρ προτέρους λυγρὸς κατεστρέψατο πότμος,
οὕτω νηλειὴς τοῦτον ἔμαρψε μόρος.

TOY αὐτοῦ εἰς τὸν αὐτόν.

Γέρμανου μάντην τύμβος κατέκρυψε Βρέτανος
ἀντὶ δὲ τῶν θείων γῆν ἀμειβόμενος.
τοὔνομα; Βούκηρος, μῦθον θεοῦ ὅστε μάθησας
ἐκ μεγάλου στόματος τοῦτον ἔειπε βροτοῖς.

IN eundem Roberti Pemberi.

Moriamur, ut resurgamus.

Hanc carnem fragilem ac miseram deponere læti
Debemus, cum nos hinc Deus ipse uocat.

Certa resurgendi spes, mortis mitigat omnem
 Horrorem, mentes recreat illa pias.
Hac spe robusti uita migremus ab ista,
 Quandò datam repetet, qui dedit ante Deus.
Cogitat aßidue hæc qui secum commoda uitæ
 Præsentis, minus hic expetit atque minus:
Vanaq; fallacis contemnet gaudia mundi,
 Negliget et falsas, quas habet orbis, opes.
Non splendore unquàm capietur honoris inani,
 Seria quem mortis cura metusq; mouet.
Diuitijs & honore licet Solomona beatum
 Exuperes, hinc te mors trahet ipsa tamen.
Inuitum trahet hinc te mors, ducetq; uolentem,
 Ducat ut ad uitam te quoque perpetuam.
Vera tibi pietas uitam sit culta per omnem:
 Illecebras carnis subde, domaq; tuæ.
Vera fides fructus tua proferat, atq; frequentes,
 Vana nec in labris sit, natet atque tuis.
Buceri exemplo cunctis prodesse labora,
 Sis patriæ & ciuis commodus ipse tuæ.
Bucero tanquam gnauo, fidoq; ministro
 Commisit CHRISTVS quinq; talenta sua.
Reddidit hæc eadem Domino duplicata fidelis,
 In Domini intrauit gaudia & ipse sui.
Ille quidem grandæuus erat, seniorq;, sed annis
 Mathusalem ut poßit uincere dignus erat.

Doctrina excellens eius sic commoda plura
Orbi adduxisset, plura pijsq; bona.
Errores studuit ueteres euellere cunctos,
Quos retinent monachi, quosque Papismus habet.
Errorumq; loco pietatem inducere ueram,
Hæc mens Buceri, propositumq; fuit.
Auxit sic commissa sibi sua quinque talenta,
Laudet eum ut Dominus iure, probetq; suus.
Seu commissa tibi duo sunt, unúmue talentum,
Tu tibi commissi muneris esto memor.
Effice & inuigila, seruus bonus atque fidelis
Vt Domini uerbis ritè uocere tui.
Vt tibi dicatur uox & ter amabilis illa:
Intrato in Domini gaudia uera tui.
Quiescat in pace Ecclesiæ.

In eundem Eduardi Bouingtoni.

Fit Bucere tuum Cantabria mœsta sepulchrum
Christicolis tristi proh dolor interitu.
Vix tamen ἥμισυ τοῦ Bucerum credimus esse:
Altera pars tantum: corpore nempe iacet.

In eundem Christophori Carleli.

Quisnam est qui uehitur cœlum sublimis in altum?
Dic quis? & unde uenit? quis in aurea subuolat astra?

Bucerus, quem firma fides ad sydera tollit.
Quocirca lætus superum nunc sede triumphat.

Eiusdem in eundem.

Felix Martino fruitur Germania magno
Dum sua respondent uocibus acta suis.
Supremi nostras ui numinis actus in oras,
Cum magna magnum fruge peregit opus.
Sed Deus impuros non passus cernere mores,
Aurea de medijs tollit in astra malis.

Eiusdem in eundem.

Corpus sepulchro conditum
Quiescit imo puluere,
Auris quoad uitalibus
Reddat supremus arbiter.
Animus triumphat gaudio
Magna corona cœlitum,
Gestit benigni numinis
Fretus nitore fulgido.
Quod occidit, non angimur,
Sed nostra quod Respublica
Suo carebit lumine
Quo clara fulsit undique.

Lustra=

Lustrauit almo lumine
(Quod ex Deo ter maximo
Hausit) suam Germaniam
Primum, dein Britanniam.
Vbi dimicauit acriter
Morbos premens & uulnera,
Inseuit altis mentibus
Præcepta præstantißima.

ΤΟΥ αὐτοῦ εἰς τὸν αὐτόν.

Τί πράξει Βούκηρον πολίτην οὐρανοῦ;
μόρος γὰρ ὁ θάνατος θεοῦ ἀθανάτον
χρήστοις δίδους παῦλαν πόνων, καὶ αἰώνιον
ζώην. κακοῖς ἀρχὴν πόνων ποινὰς σκότους.

ΤΟΥ αὐτοῦ εἰς τὸν αὐτόν.

Τίς ποθ' ὁ δοῦπος ἔραθεν ἐπ' αἰθέρα ὀρνύται εὐρύν
τὸν δὲ νέκυν κλαίουσι περισταδὸν ἀνέρες Ἄγγλοι.
τίς δ' ὁ νέκυς; Βούκηρ. ποῖ δ' ἢ πόθεν ἴσαθ' ὁδεύει;
τὸν κόσμον προλιπὼν βασιλείαν θείαν ἱκάνει.
οὗ ζῇ νῦν σῶος καὶ ἀγήραος ἤματα πάντα,
αἰνήσας τριάδος δὲ φαάντατα δέρκεται αὐγήν.

In eundem Vuilsoni.

Bucerus Tauros cornu percußit acuto,
Et præfractorum conatus fregit inanes.
Centauros profligauit, Scyllasq; biformes,
Turgentes Papæ cristas lacerauit atrocis:
Pontificumq; minas, cæcis quos otia pascunt
Lustris, compreßit: procerumq; coërcuit iras.
Et simulachrorum cultum diffregit, inertes
Dispulit errores, compleuit pectora luce.
Discußit tenebras, reuocauit lumina Phœbi,
Romanum fregit crebris cum cornibus Hydrum:
Cuius ab imperio pendebant horrida monstra
Eckius insignis scortorum laude sacerdos,
Et Maluenda minax, Pigius sua commoda quærens,
Desperans Latomus, solatia nulla receptans.
Quas omnes pestes domuit, uirusq; repreßit.
Prætereo reliquas labes, quas carmine nostro
Complecti pigeat, quia uicti terga dederunt
Turpiter, atq; ferunt, quam commeruere, repulsam.

Εἰς τὸν αὐτὸν Ἐρρίκου Αἰλάνδου.

Ἀπέρχεται Βούκηρος ὢν ἀνὴρ μέγας.
πόνοις μέγας, λόγῳ μέγας, πίστει μέγας.
Βούκηρον ὦ θρήνει νέκυν Γερμανία.
Βούκηρον ὦ κλαίει νέκυν Βρεττανία.
Ἀργεντορατῇ ζῶντα. τὸν φεύγοντα μὲν
Καντας

Κανταβριγία δὲ ἐν θανόντ᾽ οὐκ ὄντ᾽ ἔτι.
τυραννὸς αὐτῆ ἐχθρὸς ὢν ἀληθείας,
δόξης ἀμύντορ ὠθεία θεοῦ κακῶς,
ταυτῆ γε κὴρ φθόνος γίνων μάκρου βίου
ἐκκλησίας διδάσκαλον δ᾽ ἀφαίρεται,
ὦ χριστίανε, τοίου οὐχὶ δακρύεις;
κατ᾽ αὐτὶ χρίστου τὸν θανόντ᾽ εὐάνδρειον.
πρόβατα θεοῦ τὸν ποιμένα οὐ στενάζετε;
πτωχοὶ πένητες τὸν τροφὸν οὐχὶ πένθετε;
τοὺς σπουδαίους πάντας πρέπει τὸν σπουδαῖον
γνώσει τ᾽ ἐπιστάτην ἐπιστήμους χρέον,
καὶ τοὺς διδάκτους δακρύειν διδάσκαλον.
οὐκ ἔστιν οὐδεὶς μὴ καλοὺς μισῶν τρόπους
καὶ μὴ θεοῦ ἄγνην διώκων θρησκείαν,
ὃς οὐ στενάγμους οὐκ ἁλίσκεται πόλυ
Βούκηρον ἤδη τὸν μόρου τυχόντ᾽ ἴδων.

In eundem Ioannis Tomſoni.

Morte patris gnatus graue damnum ſuſtinet, atque
Diſcipulus, quando is, qui docuit, moritur.
Vrbis quando cadit paſtor bonus, omnia mœrent.
Sic ſeruus dominum cum cecidiſſe uidet.
Non pater aut doctor, non paſtor, non Dominus nunc
A nobis talis tam ſubito abripitur.
At heu iam patriæ pater, omnis doctor & orbis,
Publicus hinc paſtor concidit ac Dominus.

Martinus

Martinus cecidit Bucerus, mortuus ille est,
Cunctis perfacilis, cum grauibusq; grauis.
Splendidus ingenio, doctrina cuncta peragrans,
Vitaq; digna Deo, qui bona tanta dedit.
Omnis grex Christi, cuncto dispersus in orbe,
Hoc sentit uulnus, cœpit & occidere.
Nulla cicatricem magni huius uulneris ætas
Delebit, quanta hinc (heu dolor) orta mala;
Palpandum nunc est manibus nam cuncta tenebris.
Nigrescunt, lapsa est maxima stella cadens.
Iam cadat in luctum uir, fœmina, doctus, & expers,
Rex cum nobilibus, cum iuuene atque senex.
Hæc tamen esse potest nobis solatio cunctis,
Corpore quod presso, scandit ad astra anima.
Illius hoc uitæ, mortis ratio docet isthuc,
Firma fides probat hoc, unica spesq; DEO.

In eundem Ioannis Freri.

Ingens Dei clementia
Et multiplex benignitas,
Nobis nec expectantibus
Vatem dedit sanctissimum.
Doctrina cuius integra,
Mores probi sic omnibus
Palam nitere cœperant,
Vt iure summum dicerent.

At uita

At uita turpis sontium,
Libido perditißima,
Decreta Iouæ negligens,
Nobis eum nunc sustulit.
Etenim Deus mortalium
Nefanda facta puniens,
Morbo graui mox afficit,
Ponitq; uitæ terminum.

ΤΟΥ αὐτοῦ εἰς τὸν αὐτόν.

Βούκηρος ὁι τέθνηκε τοῦ θεοῦ σόμα.
θνητῶν ὃν οὐδεὶς ὧδε βλέψεται πάλιν.
τί δακρύεις θανόντα τοῦτον ὦ ξένε,
ἔζησε φὺς ἄνθρωπος ἀγγέλου βίον,
καὶ τοῦ θεοῦ θέλημα πράττων γνησίως,
λαὸν διδάσκε τοὺς λόγους χριστοῦ μόνον.
θνήσκει γέρων φύσει κάτω βροτῶν νόμῳ.
νῦν δὲ βροτοὺς λιπὼν ἄνωθι ναίετι.
τί οὖν κλαίεις; κόσμῳ θανὼν ζάει θεῷ,
αὐτοῦ τε ὄψιν εἰσορᾷ σὺν ἀγγέλοις.
μὴ ζῶν νομίζων ἀγνοεῖς θείαν γράφην.
πιστὸν τὸ ῥῆμα, ζῇ πάλιν πιστὸς ἀνήρ.

ΤΟΥ αὐτοῦ εἰς τὸν αὐτόν.

Τίς; πόθεν ὅδε νέκυς; Γερμανὸς, τοὔνομα τῷδε;
Βούκηρος. σὺ δὲ τίς; Ἄγγλος ὁ κήρυξ κλαίων.
εἶπε τί μὴν θρηνεῖς; ὅτι ζῶν ὠφελήσατο πολλοῖς,
νῦν δὲ θανὼν ὀργὴν δείκνυσι πᾶσι θεοῦ.

In eundem Thomæ Gardineri.

Vixit Buccerus, & diu hic uixit Deo,
Nunc mortuus multo magis uiuet Deo.
Viuus loquutus est Deum patrem suum,
At mortuus uidet Deum patrem suum.
Corpus iacet terrena moles & cinis,
Mens uiuit, & uiuit Dei ad nutum excubans.
Dum uixit, en nobis erat coniunctior,
At mortuus, factus Deo *coniunctior.*
Ita exuit mundum, Deo *ut se iungeret:*
Quem nos sequamur, & feramur mentibus,
Quô non datur nunc nostra ferri corpora.
Dum uiueret, pure didicimus uiuere,
Nunc mortuo, discamus ex illo uiuere.

Ιλερμος Βοΐτωνος.

Οὐ μὴ σιγήσω σοῦ γόους Γερμανία.
οὐ μὴ ὀδυρμοὺς σοῦ λυγροὺς Βριταννία.
σοῦ ὑστερεῖσθαι φθέγματος Βούκηρε σοῦ,

κλαίει Βριταννία, κλαίει Γερμανία.
καὶ τοῦτο θαυμαστὸν τί ἂν βροτοῖς ἔχοι,
σὲ πατέρα γ' ἡ μὲν εἶχεν, ἡ δὲ σ' ἔκγονον.
ἦν τοῦτο καὶ τὸ φθέγμα σου ἀληθινόν.
τὸ φθέγμα γὰρ τὸ φθέγμα αὐτὸ καὶ θεοῦ.
ἡ χώρα γ' οὖν ἥτις τανῦν ἰοὺ βοᾷ,
ἰοὺ ἰοὺ βοᾷν δικαίως δεῖν δοκεῖ.
ἀλλ' ἔστω ἄλλαις μὴν νομαῖς ἀρκεῖν ἰού.
ὅμως Βριταννία, ὅμως Γερμανία.
δὶς οὖν ἰοὺ, τρὶς οὐκ ἰοὺ διαρκέει.
οὐκ ἀρκέει ὀδυρμὸς, οὐδὲ δάκρυα,
κλαυθμὸς μὲν οὖ, στενάγματ' οὐ διαρκέει.
ταύταις ἅπαντα ταῦτα φέρειν δοκεῖ.
μόρος ἢ μὴ Βούκηρε σὸν φερτὴ δοκεῖ.
εἶχον σὲ γὰρ ζήσαντα πιστὸν ποιμένα,
ἀρχηγέτην πιστὸν, πιν διδάσκαλον.
διδάσκαλον λόγῳ, βίῳ διδάσκαλον
νῦν παντελῶς ἰοὺ, ἔτ' οὐκ ἔχουσι σὲ
ἀρχηγέτην, οὐ ποιμέν', οὐ διδάσκαλον.
τὸ σῶμα κείμενον τι οὐ λέγειν ἔχει.
οὐ γὰρ πάρεστ' ὁ νοῦς, ὁ νοῦς ἀπέρχεται.
ἔστ' οὖν λέγειν, ὅχ' ἡ παροιμία λέγει
ἔτ' ἔστ' ἔλυθρ' ἐνταῦθ', ὁ κῶνος οἴκεται.
βοῶσιν οὖν πᾶσαι νομαὶ ἰοὺ ἰού,
πᾶσαι μὲν οὐ χριστὸν θελόντων ἀγνοεῖν.
ἀλλ' ἡ Βρητανια, καὶ ἡ Γερμανία

δίκην

δίκην λυγρῶς βοῶσι πολλ' ἰοὺ ἰού.

In eundem Iohan. Culpeperi.

Concidit insignis summæ pietatis alumnus,
Qualem nulla dabunt tempora longa uirum.
Mæonio ueteres tribuunt miranda poëtæ,
Hoc præcone Dei sed fuit ille minor.
Propter doctrinam si collaudetur Homerus,
Quid nos Bucerum concelebrare uetat?
Illius ingenium miratur Græcia felix,
Bucerus multum præstitit ingenio.
Ille fuit uates, uero mendacia iungens,
Bucerus uates, nil nisi uera docet.
Fontibus illius multi sua scripta rigarunt,
Hic sancta mentes relligione rigat.
Sed quid confertur cæco Bucerus Homero,
Qui uitæ nobis lumina tanta dedit?
Artibus ingenuis adiunxit dogmata sacræ
Legis, qua Christum noscere quisq; potest.
Scripturæ præstans interpres atque magister
Iam cœpit nostris liber abesse malis.
Bucerum peperit magnum Germania quondam,
At nunc Bucerum terra Britanna tegit.
Subuolat in cœlos animus terrena relinquens
Gaudia quæ semper spreuerat ille pius.

Ille De-

Ille Deum planè confessus uoce diserta,
  Nos docuit uerum relligionis iter.
O si nunc poßis iterum Bucere renasci,
  Vt nostris iterum præficerere scholis:
Quàm iucunda foret tua tum præsentia nobis,
  Lætitiam cunctis cum tua uerba darent?
Sed tibi pergratum fuerat mortale cadauer
  Linquere, quò posses regna tenere poli.
Horribiles alijs mortes in parte putabas
  Lucri fœlicis, quæsticuliq; boni.
Et certe mortis nil formidabile telum
  Te læsit, uerum commoda magna dedit.
Nos mala, nos pestes, nos hæc incommoda pungunt,
  Et nobis solis mors tua sancta nocet.
In uerbo Christi tua nos doctrina regebat:
  Quis nos sic post hac ducere quæso potest?
Lumina prætulerat nostris tua mentibus ætas,
  Dum rectis studijs tempora quæque dares.
Exemplo uitæ quis nunc, & moribus almis,
  Erudiet, prohibens turpia facta sequi?
Est igitur nobis tam iusti causa doloris,
  Quàm tibi lætitiæ uir uenerande, datur.
Quàm Cantabrigiæ charus Bucere cadebas,
  Funeris id mœror significare potest.
Sed quia nobiscum non es post ista futurus,
  Quæsumus, ut similem det Deus ipse uirum.

ΤΟΥ αὐτοῦ εἰς τὸν αὐτόν.

Ἡ Κανταβριγίη παρέχει γὰρ σώματι σῆμα
Βουκήρου, ψυχὴν οὐρανὸς αὐτοῦ ἔχει.
ἀθανάτου αὐτὸς ζωῆς ἦν ἄξιος ἀεί,
ἀθάνατον νῦν δὴ βίον ἔδωκε θεός.
θῆκε δέ μιν Χριστὸς γραφέων χαριέστατον ἡμῖν
κήρυκα, ὃς ποιμὴν ἦν μάλα σφόδρα καλός.
τηλικὸν ἡμετέρων τίς δώσει ποίμενα λαῶν;
ἢ τίς τοιοῦτον πέμψει ὁδηγὸν ὁδοῦ;
ῥήματα νῦν Χριστοῦ τίς ἑρμηνεύσεται ἡμῖν;
τίς δύναται παύλου μυστικὰ πάντα νοεῖν;
ἦσκε φύλαξ, τεῖχος, ξίφιον, δόρος, ἔγχος Ἰησοῦ
εὐθύνων κραδίας πίστει ἀεναῶ.
ἀλλὰ θεοδμήτου ἡμεῖς μὲν ἀνάξιοι ἀνδρὸς
ἦμεν ἁμαρτιῶν πλήρεες αἰσχροτάτων.
νῦν μελανοπτερύγων κεύθεις γῆ μῆτερ ὀνείρων
αὐτόν, σκώληξι δώσεται σῶμα τροφήν.
Βουκήρου θάνατος πᾶσιν μέγα πῆμα Βριταννοῖς
ἡμῖν μὲν λυπήν, αὖ γὰρ ἔδωκε χαράν.
φῶς λίπε τοῦ κόσμου τοῦτον καὶ σῶμα γεῶδες,
σῶμα δέ, φῶς, ζωὴν τεύξεται οὐρανόθι.
Βουκήρου θάνατος γόερον μέλος ἐστὶν ἀκούειν,
δεῖνα φέρει πάθει, καὶ ἀμέγαρ τὸν ἄχος.
αἴσθησις δὲ κακῶν μᾶλλον μετὰ ταῦτα δοκήσει·
εἰ μὴ οἱ ἴσον ἄνδρα διδοῖτο θεός.

In eun-

In eundem Richardi Kytchini.

Contra quam deceat clamare, & uelle capillos
Vellere lugubri uoce, pudore caret.
Martinus uere martyr, uerbiq; minister
Quod sua templa petit, lachryma multa cadit.
Iustior ille tamen luctus, si forte leuare
Vel damnum possit, uel reparare bonum.
Sed quando exacta fatorum lege tenemur,
Quæ licet & poteris, disce ferendo pati.
Mortalis morti non imperat, omnibus illa
Librata uitas lance ferenda rapit.
Expulit hunc mundus, quem mox excepit olympus,
Mortalisq; suo desinit esse lucro.
In iuuene & puero mors immatura putatur,
Nunc in maturo sæua fit illa uiro.
Est quòd eos doleas, in quêis spes magna relucet,
Nec florens arbor uere reuulsa placet:
Sed grandes fructus maturi temporis æui
Cum tolli uideas, proh dolor, ille dolor.
Aerumnas Martine tuas quis fleret acerbè?
Accidit hoc nobis uulnus, & omne malum.
Te manet æternæ cum Christo gloria uitæ:
At nos uita breuis, luce carente die.
Tu Cantabrigiam testem Martine repone,
Dum summi ueniant tempora iudicij.

Hæc

Hæc urbs nanque tuum decus, hoc insigne relinquet
Testatum superis, omnibus aucta modis.
In nullo ueterum quos fama adiunxit olympo,
Inuenies similem pondere et arte uirum.
Quod studium, quantusq; labor susceptus ab illo est,
Expertus nisi sis, credere difficile est.
Qui Cantabrigiam summis muniuit alumnis,
Tempore quàm paruo profuit ille bonis.
Qui flexit iuuenes, qui consummauit adultos,
Qui CHRISTO iunxit relligione senes.
Qui prius ut uates, & mens præsaga futuri
Quò uenere patres, accelerauit iter.
Quique prius terræ, cœlo nunc nascitur alto,
Quòque prius cunctos ipse uocauit, abit.
Anglia si ex humili uis esse augusta, tuorum
Tale uiri exemplum, transfer in omne decus.

In eundem Petri Perusini.

Dum patris in solio Christus regnabit, & illi
Parebunt homines, angeliciq; chori:
Dumq; erit æternum quicquid manauit ab ore
Illius, & quicquid Biblica scripta docent:
Semper erit celebris tua laus, & fama Bucere:
Semper & ingenij fulgida imago tui.
Ergo cur doleam? quòd tandem liqueris orbem,
Vt tandem summo perfruerere bono.

Num pote=

Num poteras olim magis inclarescere mundo?
Haud quaquam.hoc plenè iam tibi contigerat.
Num uita hæc aliquid,quod delectaret,habebat?
Nil certe.Est cunctis illa referta malis.
Viue igitur fœlix:& qui,dum uita manebat,
Orbis erás splendor,nunc decus esto poli.

In eundem Thomæ Vvilsoni.

Proh dolor,horresco:pater & præceptor honesti
Occidit,eximius præco Bucerus abit.
Anglia tam claro luget spoliata Bucero,
Turbaq́; doctorum congemit interitum.
Tristibus infœlix resonat clamoribus æther,
Aula gemit,lugent oppida,uilla,schola.
O dolor,ô gemitus uehemens,ô uiuere triste,
Vita pio pestis,mors erit ipsa lucrum.
Tollitur excellens lumen,tenebrasq́; sequentes
Conspicor,in tenebris(proh dolor)error inest.
Sic solet iratus uitijs graue mittere fulmen
Iupiter,haud grauius numina fulmen habent.
Discite mortales uitam contemnere, Christum
Noscite uenturum,tempus abire iubet.
Fata ferunt nullum,cum tollunt fata Bucerum:
Si fuit in terris uir bonus,ille fuit.
Strenuus æternæ pastorq́; & præco salutis:
Vita clarus erat,morte beatus erit.

In eundem Ioannis Goodrici.

Insignem pietate uirum mors sæua Bucerum
Sustulit, ut nostris pœna sit ille malis.
Dum præsens fuerat, cæcis erroribus acti
Non sumus, amplexi commoda tanta uiri.
Absentem cupimus uotis, sed uota iuuabunt
Nulla, nec ad uitam sedula uota uocant.
Doctrinæ plenus, morum, uitæq; probatæ,
Nil nisi de Christo sueuerat ille loqui.
Christus in ore fuit, Christum pia lingua docebat,
Christum expresserunt splendida facta suum.
Ergo Bucere tuis hæc restant præmia factis,
Mortuus ut uiuas, nec tua fama cadet.
O uir summe uale, ueræ uirtutis amator.
Cuius in exequijs Anglia tota gemit.

In eundem Osvvaldi Metcalfi.

Laude Bucerus celebris perenni
Hoc iacet pressus tumulo, sed exit
Fama per latum uaga, clara spargens
Facta per orbem.
Angliæ splendor, patriæ decusq;:
Namque turgentis fera monstra Papæ
Sustulit, recti pater atq; ueræ
Relligionis.

Deflet

82

Deflet hunc Clio, reliquæq; musæ,
Ingemit Pallas, lachrymatq; Phœbus,
Atq; diuinam cupiens salutem
Anglica pubes.

Eiusdem in eundem.

Anglia quid luges Bucerum morte peremptum?
Cum Christo superos poßidet ille polos.
Carmine lugubri tua dicas turpia facta,
Bucerum nobis hæc rapuere mala.
Flagitijs motus, mortalibus arma mouere
Vult Deus, & pœna nos grauiore premet.
Inditium est iræ Bucerus morte peremptus:
Noluit hunc Dominus tanta uidere mala.
Anglia te defle, luge tua facta nefanda,
Bucerum magnum quæ rapuere tibi.
Buceriq; memor, docuit quæ dogmata constans
Persequere, & colito cum pietate fidem.
Hic honor est illi summus: sic ira recedet
Magna Dei, uanas reddet & ipse minas.

In eundem Ioannis Bacheri.

M artinus nimium matura morte Bucerus
A blatus,iusta est immensi causa doloris.
R es ô quam misera est nobis,miserandaq; semper,
T empore quæ nullo queat euanescere prorsus.
I nfando siquidem memorans horresco dolore:
N obilis heu perijt toto Martinus in orbe,
V eridicus uates patris omnipotentis, & huius
S edulus interpres:custos,quoq; relligionis.
B ellator uero pro Christi dogmate sanctus,
V irtutis cultor,uitæ præceptor honestæ:
C onsilijs plenus,quamuis mirabilis arte,
E xcellens fidei columen,fidusq; satelles:
R egibus optatus,summoq; affectus honore
V ixit principibus,ducibus,clarißimus heros.
S ed mœrent omnes Martini morte Buceri.

In eundem Gulielmi Harvvardi.

Doctos semper habet Germanos Anglia charos,
Germanusq; Anglos ardet amore pio.
Hoc natura dedit,dedit hoc quoq; gentis origo,
Cum tu Germanis traxeris Angle genus.
Sed neq; natura,nec gentis origine tantum,
Buceri quantum creuit amore hic amor.
Bucerus fuerat qualis si forte requiris,
Te sua scripta docent,sed pia uita magis.

Arti-

Artibus ingenuis nunquam Germania talem,
Quamuis præclaros, ædidit illa uiros.
Hunc sibi dilectum semper, post fata sepultum
Anglia clara tenet, atq; obijsse dolet.

In eundem Henrici Vvrightij.

Anglia rumpe moras, lugubrem sumito uestem:
Quô ueniunt clades, peruenıatq; dolor.
Suscepti merito Buceri morte dolores,
Prodantur luctu, flebilibusq; modis.
Luctus & in magnæ dominetur mœnibus aulæ,
Et resonet luctus nobilitata domus.
Oppida mœrebunt, urbes, uillæq;, lociq;
Deserti, & lachrymis Anglia tota fluat.
Et quos damna præmunt communia, luctus eosdem
Coniungat, luctu regio nulla uacet.
Tu quoq; præ reliquis, Academia mater, euntem
Doctorem lachrymis fac comitere tuis.
Magna etenim fuerant ad te uenientia ab illo
Commoda, quô melior causa doloris erit.
Occidit (heu) tua laus crudeli funere, uoce
Orba pij patris, qua resonare soles.
Scilicet impietas hominum, scelerataq; uita
Hoc facit: & tantum sustulit illa uirum.
Ingratos homines, CHRISTI sententia tanta
Censuit indignos commoditate uiros.

Vindictæ scelerum nostrorum funera iustæ
Extant, irati signa tremenda Dei.
Anglia rumpe moras, superum prostrata precare
Irarum finem, disce timere Deum.
Buceriq; tui celebrentur funera luctu,
Et iustis tanti quêis decet esse uiri.
Optima quæ docuit, factis imitare: sequentes
Verba, manet similis uita beata uiros.

In eundem Iohannis Semani.

Anglia, si qua dies tristis tibi fulserit unquam,
Hic tibi iure dies, Anglia, tristis erit.
Aspicis ut dirum torsit mors impia telum,
Vt tetigit nostræ languida membra scholæ?
Aspicis & sanctis quàm magna est facta ruina?
Quid mors sæua nimis sic tua tela iacis?
Sponte tua mittis iaculum reuocasq; uolucre:
Vel fit fortuito, uel Deus alter agit.
Seu tu, seu fortuna facit, seu fecerit alter,
Non tu, non alius, fors neq; cæca bene.
Sic inuisa fuit diuini uita Buceri?
Quid magis huic reliquis cur moreretur erat?
Scilicet & mores puri, pura, integra uita:
Tam purum impura hæc non bene uita decet.
Germanis splendor charus, lux grata Britannis
Inclusus tumulo sancte Bucere iaces.

Pascebas

Pascebas uerbo populum, nunc corpore uermes
Pascis, depastus pastor & ipse bonus.
Heu nos interea miseros, quae cura remordet,
Linquimur ut puppis, quam regit unda maris.
Quis tua praeterea, Deus optime, uerba repandet?
Quis populo nomen dicet in orbe tuum?
Quis tua membra leget totum diuisa per orbem?
Pauperies uestri nunc ubi curá iacet.
Fleto tuos casus, deplora fata Buceri,
Maxima nam uitae pars fuit ille tuae.
Sed merito patimur, nam numinis ultio summi est:
Sic uitium pensat numinis ira grauis.
Sic neq; desistet, nec sic sua dextra quiescet:
Iam fortem gladium uibrat utraq; manu.
Intendit ualidum brachio fortißimus arcum.
Spicula cui resonans plena pharetra dabit.
Anglia si regum metuisti bella potentum,
Bellantem metuas Anglia parua Deum.
Ipsa Deum ueniam non ficta uoce rogato:
Sic placida ueras audiet aure preces.
Lumina quodq; boni clauserunt fata Buceri,
Saepius exclama, sancte Bucere uale.
Omnibus una uia est, duce te Martine sequemur:
Quam mihi praemonstras, hanc sequar opto uiam.

In eundem Thomae Levvsi.

Ergo hic (ut uideo) iugis est mutatio rerum:
Vel quasi bulla sumus, uel leuis umbra sumus.
Nempe Bucerus abest: quid ages mors impia nobis,
Si sis tam sancto sæua cruenta uiro?
Viuus erat dudum, qui nunc est truncus inanis,
Proq; pijs ouibus, corpore pascit humum.
Hunc igitur iubeant iterumq; iterumq; ualere
Omnes quos tangit relligionis amor.

In eundem Gulielmi Templei.

Turba quid ah facies? quo consolante dolores
Ferre potes? lachrymis finis an ullus erit?
Quid facies rectore carens orbata Bucero?
Quis tibi Scripturas qui reserabit erit?
Ah mihi quid facies? quo præceptore carebis?
Quis leget in nostris dogmata sancta scholis?
Scilicet interijt, non amplius ille docebit,
Non leget in nostris amplius ille scholis.
Vltima fata uidet: nil ars operosa medentum,
Nil gemitus nostri, uota precesue iuuant.
Christi abijt miles, cecidit doctrina refulgens,
Vox cecidit resonans, cana senecta ruit.
Occubuit pastorq; ouium, terrorq; malorum,
Occubuit nostri fida columna status.
Cuncta hæc in cineres fati grauis intulit hora,
Omnia mors rapida carpsit acerba manu.

Ergo

Ergo est ereptum nostrum solamen, & acris
Cernitur in nobis ira furorq; Dei.
Hinc tam dira fames, hinc est discordia fratrum
Hinc illæ lachrymæ, bella facèsque fluunt.
Scilicet in causa est irati numinis ira.
Anglia maturè disce timere Deum.
Anglia, quid cessas, quid cessas Anglia? funde
Vota DEO, sceleris penituisse decet:
Posce Deum ueniam, ueniam dabit ille roganti,
Si modo qua debes mente rogare uelis.
Lugeat interea Britannica turba Bucerum,
Pastoremq; suum: uirq; puerq; gemat.
Grata dedit certe nobis Germania lumen,
Lumen ad extinctum quod dedit illa gemat.
Sed bene res cecidit: sic stat diuina uoluntas:
Sic Deus æternus, sic sua fata uolunt.
Quicquid fata iubent, nobis parere necesse est,
Semper & est iusto gratia danda Deo.
Det Deus, ut simili fœlix hæc turba Bucero
Fiat: spero pias audiet ille preces.
Nempe suo rectore carens, iactata procellis,
In subitos scopulos cœca carina ruit.
Credula turba sumus, uarijsq; obnoxia morbis:
Vna feret nobis mille pericla dies.
O si uixisset longæui Nestoris annos,
Non esset nostra terra beata magis.

Donec erat ſanus, cecinit præconia Chriſti,
Voce Deo fidus, pectore fidus erat.
Pauit oues Domini, cœleſtia dogmata ſparſit:
Lumen erat cæcis, regula certa bonis.
Audijt hunc fœlix Academia noſtra docentem,
Ter quinos menſes, uerba ſtupenda Dei.
Iamq; æger Martinus erat, non amplius illum
Audijt in noſtris turba ſtipata ſcholis.
Sæuit hyems nimium, cœli inclementia uires
Fregit, & ad lectum fata inimica trahunt.
Vt cecinit Chriſtum morborum mole grauatus,
Quàm cupijt noſtris liber abeſſe malis?
Quàm petijt ueniam, quàm forti pectore dixit:
O Deus hanc animam ſuſcipe, quæſo, tibi.
Vox deerat: mentis ſuperabat ſola poteſtas:
Suſtulit ad ſummum languida membra patrem.
Semineceſq; manus tendens ad ſydera, uitam
Liquit, & hic quicquid terreus orbis habet.
O ego ſic moriar, ſic ô mea lumina condam,
Sic Pater omnipotens det mihi poſſe mori.
Corpus apud nos eſt, cœlum eſt poſſeßio mentis:
Ter quater ô fœlix, cui dedit iſta Deus.
Sexaginta unum tranſegit fortiter annos:
Atq; hic Martini meta ſuprema fuit.
Fine ſui extinctum uidit Februarius: atqui
Martius ad tumulum mortua membra tulit.

Mille

Mille & quingentis sit quinquagesimus unus
Additus, & præsens funeris annus erit.
Quid memorem fletus, Haddoni tristia uerba?
Quid Mariæ templum, funus id intus habens?
Sic tegitur paruo tam gloria magna sepulchro:
Sic locus exiguus nobile corpus habet.
Ergo hunc perdidimus: sed qualem nulla tulerunt
Secula, sed qualem secula nulla ferent.
Iamq; Bucere uale: celebris tua fama per æuum
Non cadet: ô iterum sancte Bucere uale.
Tu quicunq; leges defuncti scripta Buceri,
Dij faciant fructu non pereunte legas.
Qualis at ille fuit, talis sis moribus ipse:
Sic bene, sic fructu non pereunte leges.
Ipsa ut cœpisti solers Academia perge:
Sordibus abiectis, nil nisi sancta tene.
Iusta manus Domini tetigit te: uulnera passa es
Iusta: Deum ueniam posce, petita feres.
Perge bonis auibus noctesq; diesq; beata
Artibus ingenuis, moribus esto bonis.
Exemplar propone tibi, propone Bucerum:
Adiunges studijs commoda quanta tuis.
Disce timere Deum: sic fœlicißima fies,
O nimium fœlix qui facit illud, erit.
Ah miseros qui fœda colunt, qui numina temnunt,
Quos derisorum turba nefanda capit.

Franget

Franget eos Dominus, conatus reddet inanes,
Contundet forti pectora dura manu.
Pone truces animos: elatos numina frangunt.
Solum submissos suscipit ille Deus.
Sic dabitur summi penetrare in limina cœli,
Vita ubi perpetua est, & sine fine salus.

Eiusdem in eundem Ecloga.

Germa. Anglia quid mœsta es? quid mentis conscia nostræ
Plangis, & ex animo toties suspiria ducis?
Quicquid id est, timeo: ne sit communis utriq;
Hic luctus uereor: quæso mihi singula pande.
Anglia. Ille (ah non adsunt miseræ mihi uerba loquenti)
Ille, inquam ille suis cessit, Germania, fatis.
Germa. Cur toties illum geminas charissima, paucis
Dic mihi cur toties, Illum, tam mœsta loquuta es?
Fare, nec ulterius uerba imperfecta relinque.
Anglia. Flenda mihi, lugenda tibi, Germania dico.
Mœsta loquor, nobis communia damna duabus:
Ille tuus, flos ille tuus, quem grata dedisti
Tu mihi, crudeli prostratur morte Bucerus.
Illum (ô falsa essent) non amplius ipsa uidebis.
Germa. Me miseram, cecidit mea gemma, mea inclita proles?
Lux mea surrepta est, perijt mea sola uoluptas?
Anglia. Flere licet. quid flere iuuat? quis numina frangat?

Fata

Fata quis auertat? sic stat sententia Parcæ.
Sic est: ast utinam morientia lumina & ipsa Germ.
Clausissem, & poterat propria tellure reponi.
Siste tuas lachrymas, animum deponere noli: Anglia.
Idem animus nobis, eadem doctrina, uoluntas
Vna: tuum, quodcunq; meum est, ucrè esse putabis.
Sic iacet extinctus propria tellure Bucerus.
Vt mihi grata manes, sic sum tibi grata uicißim. Germa.
Inque uicem meritis pariter certamus utræq;.
Det Deus ut nullis amor hic decrescat in annis.

In eundem Gulielmi Thulesij.

Quid fles Bucerum gens Anglica funere raptum?
Num lachrymis illum posse redire putas?
Frontem porge tuam, miseras depone querelas,
Viuit, non moritur uir pietatis amans.
Non solum pateris damnum, Respublica Christi
Tota quidem passa est, sparsa ubicunq; fuit.
Quamuis putidula corpus putrescat in urna,
Mens erit æterno consociata Deo.
Sæuit, & in cineres illud mors uertit inanes:
Non mors, non dæmon hanc uiolare queunt.
Non moritur, posthac mors non dominabitur illi,
Quicquid enim uiuit, uiuit id omne Deo.
Occurrens sponso superas rediuiuus in auras,
Cœlestes epulas concelebrare parat.

In eundem Nicolai Karuilli.

Doctorum genitrix Academia summa Britannis,
Qua doctis grex est nulla repleta magis.
Ah quoties uolui meritas te soluere grates,
Fundere saluifico carmina læta Deo?
Ah quoties uolui ut maculis circumlita nullis,
Susciperes grato pectore uerba Dei?
Sed tibi contemptus Deus est, contemptaq; uerba,
Verba quibus ueniunt gaudia, uita, salus.
Sustulit ergo Deus quem miserat ipse prophetam,
Quòd tulit in culpa est crimen (iniqua) tuum.
Cuius amor summus concesserat, ecce Bucerum,
Sustulit ardescens illius ira tibi.
Tam cito sublatus cum sit, tua crimina defle:
His tua sunt tantis crimina digna malis.
Et nisi præmissam uitam, moresq; nefandos,
Contemptum uerbi deseruisse uelis:
Ah grauiora magis, multò grauiora sequentur
Vulnera, lis, bellum, pestis, acerba fames.
Ergo tuam causam lachrymeris, deq; Bucero
Exultans, Christo carmina digna feras.
Mortuus hic uiuit, uiuit per secula cuncta,
Inque Dei uiuit perpius ille manu.
Quòd moritur nobis flendus, flendusq; uidetur,
Quòd modo præceptor nunc iacet ille cinis.

Quòd Domino uiuit, corrupto corpore ſolum,
Gaudia, non lachrymæ, ſunt ineunda tibi.

In eundem Gulielmi Lechei.

Non animi uires, non nomen, non decus amplum,
Mors minuis: tantum pectus & oſſa teris.
Bucerus uiuens Chriſti deuicerat hoſtes,
Nunc cœli ſedem, liber ab hoſte, tenet.

In eundem Franciſci Neutoni.

Pone graues fletus, mentem nec conſice luctu:
Mors etenim ſecum gaudia magna tulit.
Aerumnas uitæ triſtes hæc depulit omnes,
Numinis inque domum mors pateſecit iter.
Et quamuis corpus condatur puluere terræ,
Mens tamen in cœlis iungitur ipſa Deo.
Ipſius hoc meruit uirtus clariſsima ſemper,
Omni quæ uita ſedulò culta fuit.
Iuſtus erat, conſtans, patiens, pariterq; benignus,
Et lenis cunctis, & moderatus erat.
Quid reliquas dotes memorem, quibus undiq; fœlix
Omni doctrina cultus, & arte fuit?
Omnibus ingenuis ſic floruit artibus ille,
Vt nequeat Pallas nunc reperire parem.

Et fuit in primis ſacra ſtudioſus in arte,
Legit ſincerè uerbaq; ſacra Dei.
Atq; Deum ſemper tanta pietate colebat,
Vt merito Diui nomen habere queat.
Quem nunc omnipotens in cœlum ſuſtulit altum,
Proq; ſuis factis præmia digna dedit.

In eundem Alexandri Nouelli.

Cognita Germanis, bene cognita ſancta Britannis
Vita Bucere tua, & lingua Bucere tua.
Cognita ſunt latum ſanctiſsima ſcripta per orbem,
Queis pia nulla magis, docta nec ulla magis.
Sed Cantabrigiæ, non toto cognitus anno,
Conditus es tumulo magne Bucere breui.
Sic Cantabrigiæ, fatorum lege, Bucere
Cognitus & decus es, conditus & dolor es.

Eiuſdem in eundem.

Extinctum nollem quiſquam putet eſſe Bucerum,
Mens uitam in ſupero lumine cuius habet.
Extinctum nollem quiſquam putet eſſe, quid ergo?
Corporis eſt placidus ſomnus, eritq; breuis.
Extinctum nollem quiſquam putet eſſe perennis,
Fama uiri uiuit, ſcriptaq; docta uigent.

Extinctum ne ergo quisquam putet esse Bucerum,
Scriptaq; cum uiuant, famaque, mensq; uiri.
Tristis abesto dolor, uiuenti gratulor: ille
Nam mundo uiuit, uiuit & ille Deo.

In eundem Gulielmi Lodouici.

Bucerus, mortis limoso clausus in antro,
Terræ concessit, quod modo terra fuit.
Innocue uixit, multos & uiderat annos
Conspicuus, sacri gloria magna chori.
Teutones hunc celebrant docti, celebrantq; Britanni:
Vtraque flet tellus, Pieridesq; gemunt.
Personuit Christum sanctæ tuba maxima legis,
Lumina Scripturis, lumina clara dedit.
Exemplar uitæ, sermonis norma, trilinguis,
Doctrinæ solidæ, flosq; decusq; fuit.
Mors iter in cœlum, mors lucrum & uita perennis,
Ossa dedit terris, sydera habent animam.

In eundem Ioannis Herdi.

Ergone Bucerus iam desijt esse superstes?
Et uerbi interpres desijt esse sacri?
Nos miseros, quibus est uoces audire negatum,
Quas docto sanctus protulit ore senex?

Nostram deploro sortem, sed gratulor illi
Nunc patriam quod habet, qui prius exul erat.

In eundem Petri Bellopoelij.

Si nescis, Lector, quisnam fuit ille Bucerus,
Quem fatum nobis eripuisse uides.
Extitit idem qui nunc est: nisi ducere tandem
Illum uulgari conditione placet.
Ipsa quidem occubuit moles, sed spiritus auras
Hac præteruectus intonat altus humo.
Exhibuit nobis hominem Germania, Virtus
Auxit: at Anglorum Regis alumnus obijt.
Nec lis ulla quidem est fuerit Germanus an Anglus,
Qui se sydereo uouerit ipse polo.

Eiusdem in eundem.

Immortalem animum tibi cum natura, Bucere,
Eiusq; insignes expedijsset opes:
Corporis effigiem quandam addidit: extulit & te
Tandem ad conuexi mystica uerba Dei.
Hæc sine non magna subijsti laude: sed in quo
Sic abes, ô fidei fax memoranda tuæ.
Vna quidem nos angit res, quod mortuus ipse es,
Cum te uellemus, non potuisse mori.

Quanquam propterea minimè lugemus: habemus
Quòd luctum impediat, ni superesset amor.
Hæret enim rediuiuus amor, neq; flaccida certè
Cuiusquam nostrum fallere membra potest.
Hocq; magis, quòd pauci extant quos æmulo sacræ
Scripturæ uirtus auferat, & teneat.
Hinc te uniuersi fœlicem ducimus, ut qui
Perpetuo hanc quodam uolueris orbe rotam.
Id tua uiuendi ratio testatur, id ipsa
Relligio, & mortis prodita signa tuæ.
Vixisti moriens, uiuens in fata ruisti:
Vita fuit tibi mors, mors tibi uita fuit.
Vita odium conflauit iners, mors abstulit: ecce
Illa tibi iam lux, hæc tibi iamq; salus.
Præter te similesq; tuos quàm deniq; pauci,
Flectere quos non plebs ambitiosa queat.

In eundem Bartholomei Traheroni.

O nulla moriture die, cur mortuus esse
Diceris? hæc potius mors tibi uita fuit.
Viuis, nunc demum uiuis, nec es antea uisus
Viuere, sed uere mortuus esse mihi.
Non es tu nobis, sed nos tibi lumine cassi,
Et mortis telo saucia turba sumus.
Tu nostram fleres mortem, si gaudia tanta
Queis frueris, sinerent, non tamen illa sinent.

Ergo Bucerus uiuat, nostramq; fleamus
Mortem, ut uiuamus, uiuit ut ille pius.

In eundem Nicolai Vdalli.

Siste gradum Lector, si nescis, ecce, Buceri
Quo cernis tumulo corpus & ossa iacent.
Cuius fama, decus, libri, facundia, uirtus,
Implebant orbem, quem breue marmor habet.
Nec dicendus erit tamen interijsse Bucerus,
Cuius non poterunt scripta diserta mori.
Et meliore sui regnat iam parte Bucerus,
Tam pia mens stygios nescit adire lacus.
Discessu indoluit Germania tota Buceri,
Sed mage defunctum terra Britanna gemit.
Quid Parcas, quid fata sibi uoluisse putemus,
Cum talem nobis eripuere uirum?
Anglia si uiuo fuerat te indigna Bucere,
At saltem cineres excolat illa tuos.
Quod nisi naturæ cesissses legibus, in te
Forsitan haud noster cognitus esset amor.
Nunc fueris cunctis quàm charus & utilis idem,
Luctus hic, & paßim carmina fusa docent.
Anglia te fuerat fœliciter usa magistro,
Exemplo, uiua uoce, librisq; fruens.
Sed iam tempus erat requie mutare labores,
Per quæ obitum in campos mittier Elysios.

Ergo Bucere uale, cœloq; fruare beatus,
Nos quoq; dum iungat mors superata tibi.

In eundem Gulielmus Buclæus.

Lis est, Germanus fuerit ne Bucerus, an Anglus,
Vtraq; gens causam quo tueatur habet.
Mundanum celebris fecit Germania ciuem,
Cœlestem ciuem terra Britanna facit.
At cœlum mundo longè est præstantius: ergo
Conditio melior terra Britanna tua est.

In eundem Martini Fargani.

Qui simul interitus hominum metitur, & ortus,
Quid non Buceri funera grata putet?
Natus erat moriturus: at hinc migrauit in altum,
Vitam uicturus postmodo perpetuam.
Quanto igitur rebus præstant æterna caducis,
Tanto mors uitæ est anteferenda suæ.

FINIS EPIGRAMmatum.

EPICEDION SCRIPTUM REVERENDO VIRO D. MARTINO BUCERO.

Autore Christiano Lotichio Germano.

ANNO DOMINI M. D. LI.

PARCE Deus, nec perde tuum qui nomen adorant:
Vita quibus nati est sanguine parta tui.
Sed castas admitte preces, moueare querelis:
Totq; fatigatis casibus affer opem.
Sicut enim lapsis laterum compagibus, imbrem
Accipit æquorea naufraga puppis aqua:
Sic uarios dudum Germania passa tumultus,
Hei miserè externo milite fracta cadit.
Quas non sustinuit miseranda clade ruinas,
Acer ut in nostros sæuit Iberus agros?
Quà propè porrigitur glacialem terra sub Arcton,
Squalet adhuc fuso triste cruore solum.
Turcaq;, qui Tanais superans prius impius undas,
Indignatas Asiæ milite cepit opes:
Nunc

Nunc quoq; Pannonios lacerans crudeliter agros,
Tristia Rhene tuis castra minatur aquis.
Quin etiam proprijs fracti languescimus armis:
Nostra perit nostris ignibus usta seges.
Sed magis una graues geminat iactura dolores,
Ne mala sint numeris ulla minora suis.
Inuida Musarum cultos mors sæuit in hortos,
Et uaria doctos tollit ab arte uiros.
Nam qua clade iaces patriæ diuine Luthere?
Quo sacra relligio uindice tuta fuit.
Sic quoq; te Capito, sic te facunde Grynæe,
Eripuit studijs inuida parca bonis.
Sic tua, magnanimi Cruciger comes arcte Lutheri,
Ossa cubant gelido nuper humata solo.
Quid querar in gracilem ut mutatus Fagius umbram,
Funus in externa triste tegatur humo?
Vtq; pius mox hunc Bucerus ad astra secutus,
Clauserit hei uitæ fata suprema suæ.
Parce Deus: tristem quid adhuc non contrahis iram?
Parce: grauis quoniam causa doloris adest.
Sustulit hei nobis Bucerum Parca: nec isto
Funere causa mali tristior esse potest.
Hei nimium dubij sunt iura potentia fati,
Arbitrio cuius uita stat, atq; cadit.
Dignus erat Pylios qui uitam ferre sub annos,
Imperio cecidit mors truculenta tuo.

Ne tamen infœlix prorsus tegat urna iacentem,
(Si quis cui superest fama iacere potest)
Ipsius haud fictas complectar carmine laudes:
Manibus inferias triste poëma ferens.
Scilicet hæc illi pietas debetur, ab isto,
Quo teneras Christi tempore pauit oues.
Quo tamen ingenuas complectar carmine dotes,
Grande leues elegi non patiuntur onus.
Ergo Selestadij grauida cum matris ab aluo
Isset in hæc mundi tempora natus homo:
Qua ueteres quondam Tribochi sedere: minorum
Alsatiam uerso nomine turba uocat.
Protinus excolitur studijs, curaq; parentis,
Iuit ad excultos urbis ab arte uiros.
Iamq; breui spatio linguam formare Latinam
Ceperat, & Latio purius ore loqui.
Inuitum, specie cum relligionis honesta,
Dominicis ipsum fratribus addit auus:
Quinq; ter ætatis plenos ubi fecerat annos,
Et data iam tumulo membra parentis erant.
A quibus ut uenit Budorinam missus in urbem,
Nicer ubi Rheni non procul auget aquas.
Quam princeps olim fertur posuisse Rupertus,
Accipit imperij cum diadema, scholam.
Protinus occultas naturæ discere uires,
Ponere & ingenua tempus in arte iuuat.

Quatuor

Quatuor ut surgant genitalibus edita causis,
Fœta repentina quæ uice terra parit:
Vnde trahant homines generis primordia: & omne
Quod leuis hic aër, terra, fretumq; fouet.
Quid ferat ignito metuendus crine cometes,
Imperijs, terret cum graue sydus humum.
Iuppiter ex ima cur nube tonitrua torquens,
Concutiat rauco triste fragore solum.
Vnde leues capiant uires alimentaq; uenti:
Frigora cur Boreas, cur ferat Auster aquas.
Dura quid immiti concrescat in aëre grando:
Vrantur gelida cana quid arua niue.
Obstanti uarios pingens in nube colores,
Nuncia Iunonis cur bibat Iris aquas.
Vnda uagi senis cur defluat æquoris horis,
Sextaq; stagnantes hora reducat aquas.
Mox & in æthereas mens altius euolat arces,
Et uicina Dijs sydera nosse cupit.
Vt duo sint, quorum uicina primus ab Arcto,
Imus ab opposito dicitur axe polus.
Hos ut cæruleus circum uoluatur olympus,
Sentiat impositum nec tamen axis onus.
Venit ubi propius rutilos ad Apollinis ignes,
Luna magis fuscis cur uideatur equis.
Cur eadem medium cœli dimensa uolumen,
Protinus aurata turgida fronte micet.

Cur caput inuoluat cæca caligine fratris,
Dum caret usura luminis orba sui.
Et quid equos densis immergat Apollinis umbris,
Fraternis quoties dura resistit equis.
Certa recurrentis cur tempora quatuor anni,
Cur grauis autumno continuetur hyems.
Quid uehat aut Procyon: aut quid nymbosus Orion,
Pendula quid pluuias Libra reducat aquas.
Mox superas casto rimatur pectore sedes,
Autorisq; pio flagrat amore Dei:
Sydera qui mentis formosa cohercuit aptis,
Vt peragant cursus lege coacta suos.
Incipit ergò sacros studiosè uoluere Vates,
Qui pia perpetuæ uerba salutis habent.
Cumq; forent isto, Romani fraude tyranni,
Tempore Dædaleis obruta sacra dolis:
Ipse Deum, sordes, fucataq; dogmata linquens,
Purius absterso cepit amare luto.
Nam ueluti roseum Phœbo properante sub ortum,
Præuius auroræ Lucifer ire solet:
Sic tibi, qua populos inuicte Luthere doceres,
Currere uicinum cepit Erasmus iter.
Atq; sacris aliquo ueterem tenus addere lucem,
Multaq; de turpi tollere scripta situ.
Hic igitur docti monumenta legebat Erasmi,
In quibus æthereæ semina lucis erant.

Oraq;

Oraq́; Cecropijs mox applicat impiger undis:
Nec mora: Palladia uictor in arce fuit.
Iamq́; satis clara pietate probatus & arte,
Inter honoratos ceperat esse uiros:
Fama ducis quando Friderici uenit ad aures,
Sceptra Palatinæ qui gerit ampla domus.
A quo conspicuis ornatus honoribus: aulam
Imbuit antiqua relligione ducis.
Iamq́; aliquot Belgis Christum monstrauerat annos,
Crimina perpessa tollere nostra cruce:
Eius ut informes Monachi petiere cruorem,
Vera quibus pietas lusibus esse solet.
Ergò suo cupidos ne sanguine tingeret enses,
Vincula concessa uitat iniqua fuga.
Suscipit hospitio propriam Franciscus in arcem,
Gloria Siccingæ non moritura domus.
Hic erat & generosus eques, uatesq́; disertus,
Huttenus, Latij pestis acerba Papæ.
Qui duo, cum nondum defuncti morte fuissent,
Præsidium fidei dulce labantis erant.
Otia quapropter nactus tranquilla: legebat.
Omnia quæ sacrum scripta uolumen habet.
Quinq; ter exierant à Christo secula nato,
Et quatuor lustris additus annus erat:
Carolus imperij proceres conscribit in urbem,
Quam propè Rhenanum Vangio littus habet.

Cunq;

Cumq; aliqui cuperent fulgorem extinguere Christi,
Vt phœbi lucem noctua ferre nequit:
Iussus erat fidei causam recitare Lutherus,
Ante ducum & magni Cæsaris ante pedes.
Hunc quoq; Bucerus fidei de rebus agentem,
Audit,& audito comprobat acta uiro.
Contulit interea cum magno multa Luthero,
Ista Conuentus donec in urbe fuit.
Purius hinc igitur firmato pectore cepit,
Dulcia de nostra uerba salute loqui.
Vt pater, ut sit imago patris, quiq; halitus exit,
Missus ab amborum pectore, cuncta fouens:
Filius humanos ut tantum sumpserit artus,
Verus ab illæsa uirgine natus homo:
Quo mortale genus patrio donaret olympo,
Ipse feram Solyma passus in urbe crucem,
Et phlegetontæo mox uictor ab amne reuersus,
Suscitat è putri propria membra solo.
Hic est nostra salus,ait, hic est certa salutis,
Ianua: si firma suscipis ista fide.
Sic fassus forti Bucerus pectore Christum,
Iustifica saluos nos decet esse fide.
Falsaq; degeneris condemnat numina Papæ,
Artificumq; manus quos statuere Deos.
Cepit & in Solymam mentem demittere linguam,
Posset ut in linguis arbiter esse tribus.

Inde

Inde sacris reddit detractum nuper honorem,
 Vatibus, & cultus induit arte noui.
Multaq; præterea nobis monumenta relinquit,
 Quæ nullus toto nescit in orbe locus.
Quæ legit inmensas Germania lata per oras,
 Quæ legit Hesperij littus utrunq; maris.
Flauaq; de nostro semota Britannia cœlo,
 Atq; Lycaonio terra propinqua polo.
Cumq; ita Buceri nomen caneretur in orbe,
 Magnaq; conspicuis fama uolaret equis:
Aemula Maßyliæ uocat Argentina magistrum,
 Ad gnatum ut reuocet pectora mœsta Dei.
Hic ubi Rhenigenas deuoluitur Ellus in undas,
 Et uitreo Rheni flumine pingit aquas.
Hic ubi, Dardanij dictus de nomine Iuli,
 Teutonicas Latio milite fregit opes.
Primus in hac igitur factus sacer urbe minister,
 Diuini populum munere lactis alit:
Qualiter infantem teneris nutricula succis,
 Pascit, & infirmos instruit ire pedes.
Instauransq; scholam, munus subit ipse docendi,
 Atq; animos docta frangit ab arte feros.
Nam, nisi prima bonis formetur in artibus ætas,
 Quæ ratio uitæ, quæ pietatis erit?
Ipse sacras igitur pueros dum duxit in artes,
 Sustinuit magni grande laboris onus.

Primaq;


Primaq; Bucero debetur gratia: Musis
  Quod datur hospitium dulcibus iste locus.
Iamq; diu tumidi iactatos turbine ponti,
  In portum ciues traxerat ipse suos:
Cepit ut Augusta te ritè uocatus in urbe,
  Palanti dudum Christe docere gregi:
Hic ubi finitimis Lycus Alpibus errat in agris,
  Boiaq; de Sueuo separat arua solo.
Quin multos Christo populos, hinc indè docendo,
  Asserit, & pulsis purgat ouile lupis.
Quid loquar, ut toties sit dura pericula passus,
  Inuicto contrà cum ruit ore Papam?
Vlla nec ingenuam fregere pericula mentem:
  Deiecit nullus fortia corda metus.
Ciuica Mars quoties accenderet improbus arma,
  Raucaq; militiæ claßica signa darent.
Mittite sæuiciam, dicebat, mittite reges
  Arma: quid in proprias bella mouetis opes?
Arua suos dulci fructus sub pace ministrent.
  Quid tuba terribiles excitat unca sonos?
Pace uigent pietas, & iura tenacia recti,
  Martius econtrà tollit utrumq; furor.
Sed si bella iuuant, & partus ab hoste triumphus,
  In Mahometigenum uertite tela genus.
Hunc procul à patrijs depellite finibus hostem,
  Pace domi leges semper alente sacras.

Sæpius ad tales uoces furor arma remisit.
Et data sunt pharetris tela soluta suis.
Dum loquor: ingenti Germania mota tumultu,
In sua Germano milite fata ruit.
Non ita fracta fuit diuturnis languida bellis,
Cœpit ut Ausonio subdere colla iugo:
Vt nunc per proprias fecit sibi uulnera uires,
Vulnera quæ nullo sunt coitura die.
Mox etiam rigidis aliud cessantibus armis,
Passa fuit fato flebiliore malum.
Prodigiosa citò pauidum Sphinx uenit in orbem,
Orcum quam peperit passa Chimæra uirum.
Non forma una illi: nunc hanc, nunc induit illam,
Intuituq; necat uisa repentè suo.
Hei mihi quàm cœco multos ænigmate captos,
Turpiter ad Stygias præcipitauit aquas.
Hæc quoq; Bucerum pestis ne lædat: ad Anglos
Ipse sacro ductus numine carpit iter.
Nec minus hic magno defungitur ipse labore,
Dum docet in templo, dum docet inq; scholis.
Turpis & haud unquam mentem timor abstulit illi,
Impiger in casus quoslibet ire fuit.
Doctus erat seruare sacrum sociale cubilis,
Castaq; nec socij fallere iura thori.
Nec fuit in placido uentosa superbia uultu,
Turpis ab ingenuo pectore fastus erat.

Sacra

En tua terribiles Ecclesia passa procellas,
In medijs à te fluctibus orat opem.
Ingemit, & fidis pastoribus orba, cruentos,
In populum miserè conspicit ire lupos.
Da, pater, in cineres cum flamma redegerit orbem,
Nos aliquem supera sede tenere locum.

VITA PAVLI FAGII, THEOLOGI PIETATE ATQVE LINGVARVM COGNITIOne excellentissimi, per ministros aliquot Ecclesiæ Argentinen. uerè & breuiter descripta.



ROPOSITVM NOBIS EST, Candidissimi Lectores, in hoc opusculo uitam Pauli Fagij, ministri Christi, pietate, fide, diligentia, scientiaq; præstantissimi, conscribere. Sed antequam ad id perueniamus, pauca prius de nostro consilio dicenda uidentur, ut ijs qui reprehensuri sunt, resistamus: contraq; in his qui nobis fauent, studium, beneuolentiamq; magis cõfirmemus. Erunt enim nonnulli, qui hoc totum genus scribendi improbabunt: idq; duabus de cau-

sis potissimum. quarum prior est: quod in hoc genere non tanta insit utilitas, ut quis uel scribendo, uel legendo in eo occupari debeat: altera, quod certam etiam perniciem aliquando allaturum sit. ex ijsdem enim initijs superstitiones olim innumeras, mendaciaque coepisse. Non deerunt etiam, qui à nobis requirent, cur tam diu Fagium in tenebris iacere passi simus, & nunc primum eius nomen in lucem memoriamque reuocare instituerimus. Alij uerò in nos ipsos incurrent, nosque aut temeritatis, aut arrogantiæ arguent: quòd, cũ multi uiri docti, in scribendi dicendique exercitatione uersati, quibus Fagius notissimus fuerit, taceant: nos potissimum hunc laborem susceperimus, qui cum illis nullo modo simus comparandi.

Hæc tria, si ab inimicis nobis obijciantur, criminationes sunt: sin ab amicis, reprehensiones, quibus utrisque respondendum nobis est, ut alteros læsisse pudeat: alteros didicisse delectet. Etenim si uerum est, quoquo modo id obijciatur, ex hoc scribendi genere non modò nullam utilitatẽ, sed contrà maximũ potius detrimentum adferri: quis nisi insanus ea aut editurus, aut lecturus est? Sed longè secus est. Habet hoc genus scriptionis, semperque

perq́ habuit cum summa utilitate, summam etiam coniunctam laudem. Quid enim utilius & dignius esse potest, quàm Christianæ religionis, pietatis, fidei, cæterarumq́ pulcherrimarum uirtutum exempla literis, hominuḿq memoriæ mandare? Quod si gentilium exempla ad humanitatem, ad animi moderationem, ad æquitatē iustitiamq́ in omni uita colendam, non exiguum momentum omnium sententia, conferre iudicantur: quis non maiora adiumenta ad uerum Dei cultū, pietatem, castitatemq́ Christianorum, et eorum qui his præfuerunt, exempla allatura esse censebit? Ac, ut cætera plurima omittamus, duo tantum præ reliquis assumemus: è quibus cuiuis perspicuū esse potest id quod dicimus, huic scribendi generi, cum summam utilitatem, tum dignitatem inesse.

Primum illud est: è quacunq́ re gloria Dei maximè illustratur, ea non potest non & utilissima & præstantissima iudicari. At inter omnia Dei opera sancti Dei homines principem locum obtinent, è quibus gloria gratiæ Dei, tanquam ex speculo clarissimo refulget. Id quod Propheta longè omnium diuinissimus his uerbis confirmat, cum inquit, ADMIRABILIS est Dominus in sanctis suis

quomodo autem admirabilis erit Dominus in ſanctis ſuis, hoc eſt, fidelibus, ſi eorum omnis ſublata ſit memoria?

Alterũ eſt, quod hic ſplendor gratiæ Dei, quo Deum in ſanctis ſuis admirabilem fieri Propheta teſtatus eſt, eos etiam, qui religioſè eam legunt atq; cõſiderant, impellit atq; excitat, ut ad eundem fontem gratiæ & gloriæ ſitibundi feſtinent: quo unà cum illis impleantur atque illuſtrentur. Quem enim tot, tam'q; præclara diuinæ miſericordiæ & gratiæ exempla, ad eandem expetendam non inflammarent? Quod ſi hi duo maximi fructus, gloriæ ſcilicet diuinæ illuſtratio, & ſpei noſtræ de miſericordia Dei confirmatio, in ſanctorum memoria non ineſſent, nunquam Propheta, per Spiritum Dei, memoriam iuſtorum æternam fore prædixiſſet: multo uerò minus Apoſtolus diuinæ gloriæ ſtudioſiſsimus, & omnis ſuperſtitionis hoſtis acerrimus, præcepiſſet ſanctorum Dei miniſtrorum memoriam, ad Hebr. cap. 13. his uerbis, *Μνημονεύετε τῶν ἡγουμένων ὑμῶν, οἵτινες ἐλάλησαν ἡμῖν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, ὧν ἀναθεωροῦντες τὴν ἔκβασιν τῆς ἀναστροφῆς μιμεῖσθε τὴν πίστιν.* Quid prædictione Spiritus S. firmius? Quid hoc mandato Apoſtoli manifeſtius?

Quam

Quam obrem sic statuimus, hoc genus scriptionis Ecclesiæ diuinitus mandatum atq; cōcessum esse: idq; sapientissimo Dei cōsilio. primum, ut ex eo gloria gratiæ suę elucescat: deinde, ut perpetuos testes cœlestis Doctrinę haberemus: tum etiam, ut exemplis gratiæ suæ in alios tam promptę tamq; benigne effusæ, ad eandem appetendam confirmemur. Postremo, ut omnium pulcherrimarum uirtutum in sanctis exempla, tanquam in speculo consideranda atq; imitanda, nobis omnibus proponerentur.

At hic nobis obijcient Diuorum inuocationem & cultum, innumerasq; alias superstitiones, infinita mendacia inde esse exorta. Negamus ex religione superstitionem, aut ex ueritate mendaciū unq; oriri posse. Vtrumq; enim horum utriq; contrarium est: contrarias igitur causas habeant necesse est.

Nec uero obscurum est, in quem omnium superstitionū mendaciorumq; origo referenda sit: in Diabolum scilicet principem omnis superstitionis et mendacij, iuxta illud Christi dictum Iohan. 8. pater est mendacij, & in ueritate non stetit. Huic accedit hominum malitia & peruersitas, qua fit, ut magis probent & ament mendacia satanæ, quàm Dei ueri-

tatem. Non igitur Deo aut ueritati attribuendum est, quod homines, relicto Deo & ueritate, ad creaturarum uenerationem cultumque & portentosa mendacia prolapsi sunt: sed satanæ, & ipsorum hominum maliciæ. Quis enim tam impius erit, ut dicere audeat. Deũ sibi ipsi, aut religioni suæ contraria iussisse? aut eorum memoriam sua authoritate consecrasse, per quos ipsius ueneratio atque maiestas nõ cresceret, sed imminueretur? Ex quo concludimus: si homines præceptum Dei, ueritatemque sequentur, nullo modo superstitioni & uanitati locum esse relictum.

Ad eos iam uenimus, qui forsitan consiliũ nostrum non improbabunt; sed tamen tantam temporis moram reprehendent. Fatemur libenter, hæc citius à nobis eximijs illorum uirtutibus præstanda fuisse. Sed cum & occupationibus, & iniquitate temporum, adde etiam spe quadam nostra factum sit, non puto nos in eo iure accusari posse: præsertim, cum de ueritate nihil imminutum sit: & quod moræ intercessit, id diligentia, & uirtutum pulcherrimarum exemplis atque accessione facilè conpensari posit.

Postremò ijs etiã respondebimus, qui huic oneri nos impares esse dicent: & conatũ hunc nostrum

nostrũ aut in temeritatis, aut arrogantiæ crimen uocabunt. Quiduis potius patiemur, quàm ut hæc in nos conferantur. ab utroq; enim longissimè semper absfuimus, & adhuc abesse cupimus. Fatemur libenter nos ad illorum maximas uirtutes parem orationem adferre non posse: & alios esse, quibus ea facultas à Deo tributa sit. Sed cum illi ad huiusmodi uiros ornandos, eloquentiã suám, quibus de causis nescimus, adhuc cõferre noluerint: nos, cum præ cæteris summis illis uiris deuincti simus, gratitudinis potius, quàm eloquentiæ rationẽ habendam esse iudicauimus. Quamobrem consilij nostri causis expositis, nunc ipsam rem aggrediemur, & uitam optimi Fagij, quoad eius fieri poterit, breuissimè & uerissimè describemus: eorum instituta sequentes, qui in hoc genere elaborarunt. Quod si minimè id quod uolumus consecuti fuerimus, ueniam ab æquissimis quibusq; Lectoribus & petimus, & obtenturos nos facile, haud diffidimus. Sed ad rem.

De Natalibus Pauli Fagij.

PAVLVS Fagius patriã habuit Tabernas rhenanas, oppidum in Palatinatu non procul a Bretta (quę fuit patria per-

petua laude atq; memoria dignissimi uiri Philippi Melanthonis) situm: uulgo nominatur Reinzabern, propter uetustatem haud incelebre, quemadmodum ex libro Rerum Germanicarum Beati Rhenani latius patet.

Pater Fagij fuit Petrus Buchlin dicti oppidi ludimoderator & grammatæus annis permultis. Mater, Margaretha Hirnin Heidelbergæ nata, cuius parens Henricus Iæger (cui propter uirtutes bellicas Fridericus Palatinus cognomen dedit Hirn) auus Fagij, equestris ordinis homo, atq; magister quem uocant ab Ephippijs, rebus bellicis adeo fidelis, peritus & felix, ut Elector illi meritorum ergo præfecturam Zenth dictam, administrandam commiserit: neq; sine magna laude in hoc administrationis munere uersatus esse perhibetur, quemadmodum Fagius ipse meminit in præfatione libri, quem Thargum inscripsit, annis ab hinc sedecim hic editi.

Hoc auo, auia, & parentibus nascitur Fagius Anno restitutæ salutis M.D.IIII. quo tempore bellum quod dicitur Bauaricum, extitit: satis infelix atq; inauspicatum suis machinatoribus: quemadmodum historiæ superiorum temporum tradunt.

De edu

De educatione puerili.

FAgius, primis iam literarum rudimentis in schola paterna utcunque iactis, cum aetatis annum ageret circiter undecimum, a patre suo, pro more & consuetudine eius seculi, instructus octo batiorum uiatico, Heidelbergam studiorum ergo ablegatur: ubi sub clarissimis uiris D. Ioanne Brentio, & Martino Frechto, alijsque doctis aliquot praeceptoribus, literis operā haud indiligentem, eamque longo tempore dedit.

Adolescentiae descriptio & iuuenilis aetatis.

ADolescens iam factus annorum circiter 18. excolendi ulterius ingenij gratia, Argentinam se contulit, ibique ad annos aliquot permansit, paedagogi munus peragens: quo inopiam suam melius subleuare, literarumque progressum optatū obtinere posset. Sub hoc tempus studiū linguarum in Germania emergere coeperat, & uir doctissimus D. Vuolfg. Capito, quatuor linguarum peritus, iam Institutionum hebraicarū libros duos, rarissimo eius temporis exemplo, in lucem ediderat: Iudaei etiam aliquot hinc inde

uagabantur, & suam linguam alios utcunque docere cœperant. Occasionem hanc Fagius arripiens, hæbraicæ linguæ studio se mancipauit ferè totum, atque ita in familiaritatē Capitonis, Hedionis, Buceri, Zellij, aliorumque doctorum, qui non absque maxima difficultate Christo hic Ecclesiam primi plantarunt, se feliciter insinuauit.

Studia & officia Fagij in uirili ætate.

ANno deinde 1527. iam literis & linguis mediocriter instructus, paupertate ipsa, & hominum doctiorum maximo neglectu quasi coactus, Isnam, quod Algauię oppidum est, in ludimagistrum ab amicis & fautoribus promouetur: ubi diligentia, et uirtutibus labore se omnibus approbans, uxorem duxit, liberos procreauit, & patremfamilias haud indiligentem egit. Interea temporis multum in bonis literis, plurimū uerò in linguæ sanctę studio profecisse Fagium nostrum, extra omne dubium est.

Inclarescente autem ipso iam magis ac magis eruditione, pietate, uirtutibus, alijsque donis ad maiora uirum uocantibus, ex pistrino scholastico ad ministerium sacrum destinatur: & ut ad id se magis instruat, subsidia suppeditantur

peditantur ei splendida. Verum tũ temporis lingua Græca & Hebraica Argentinæ cũ primis florebant, & permulti uiri doctissimi etiã exules, ibi degebant: eum locum eligebat suo instituto præ multis alijs accommodum. In his itaq; excolendis amplius, rogatus à studiosis aliquot, qua fuit facilitate, rudimenta linguæ Hæbraicæ magna felicitate tradidit. Neq; destitit in studio theologiæ atq; declamationibus theologicis se ita exercere, ut biẽnio ipsius progressibus præscripto iamq; reuoluto, melius ad suos cũ familia redire posset, instructus atq; ornatus.

Anno itaq; 1537. à Senatu Isnensi ad ministerium pastorale suscipiendum domum reuocatur: quod sane magna fidelitatis & eloquentiæ laude, multorumque auditorũ maximo fructu annis fortasse quinq; uel amplius religiosissime procurauit.

Interea uero ociũ aliquod nactus unà cum libris necessarijs ad hoc studium linguæ sanctæ (quæ potissimum ipsi adlubescebat) addeetiam Chaldaicæ, se totum ferè impendit, atq; in his breui tempore ad miraculum usq; proficit. Vsus etiam est opera Eliæ Leuitæ, Judæi doctissimi Venetijs ad se accersiti, ut ipse testatur in præfacione super librũ Thisbi

tem

ten inscriptum. De his omnibus ipsius monimenta abunde testantur: quare breuitati studentes ea hic prætereunda esse censuimus.

Habuit Fagius noster, præter permultos alios uiros eruditissimos, etiam ex Senatorio ordine amicos & fautores non paucos; inter quos præcipuus Isnæ fuit Petrus Buflerus. qui, pro eximia sua pietate & liberalitate, pastorem suum Fagium in tantũ cupiebat plurimis prodesse quos acceperat donis, ut sumptu suo non paruo Isnę officinam typographicam ipsi institueret, curationemq́; demandaret: id quod libelli aliquot istic æditi satis indicant. Scopus autem utriq; idem fuit, gloria Dei, & propagatio linguæ sanctæ. Postquã autem initia uotis, præsertim eo loci, non satis respõdebant, sua suorumq́; Fagiũ pericula atq; damna uidebantur ab instituto deterrere: iussit Buflerus ipsum securo esse animo, alijsq; commodando pergere, sibi ista curæ fore: nimirum subsignificans id quod postea præstitit. O rarissimum erga studia sacra exemplum, pręsertim ab idiota profectũ. Quẽ enim mihi hodie ditissimorum quæso mercatorum dabis, qui non potius pecunias suas ad quæstum, quàm Bufleri exemplo ad literarum religionisq́; studia excolenda cõferat?

Acne

Ac ne quis fortè hanc solam eius liberalitatem esse dicat, aut magnum aliquod lucrum ex ea typographia fecisse cogitet, utrumq; breuiter longè se aliter habere demonstrabimus. Fuit Buslerus semper ab ineunte ætate religionis studiosissimus: cum huius autem studio, tum omnium pauperum cura, tum in primis ministrorum Euangelij ita cohæret, ut alterum ab altero diuelli non possit. Quum his moribus similem uxorem inuenisset, erat domus ipsius commune quasi perfugium omnium pauperum, & ministrorum Euangelij hospitium, in quo excipiebantur egentes & miseri: neq; quisquam eorum sine honesto uiatico dimittebatur. Quis diligentiam, liberalitatem'q; uxoris suæ, fœminæ primariæ & honestissimę, satis pro dignitate cõmemorabit? cuius officia pauperibus infirmis summo solatio, Buslero autem marito gratissima fuerunt. Non enim puduit illam tam diuitem, tam'q; primariam matronã, ultro adire quos uis ægrotos: maximè autem tenuis fortunæ homines, eosq; contrectare, medicinam, curationes'q; adhibere. Qua pietate & uirtute non uideo, quid in Christianis matronis possit esse laudabilius.

Ex his præclaris initijs cœpit Buslerus

maiores

maiores in pietate progressus facere: cogitabat non modo miserorum inopiæ, in his quę huic periturę uitę necessaria sunt, succurrere: sed etiam Euangelij doctrinam in sua patria, cæterisq; uicinis aliquot oppidis ad posteros propagare: ut in ijs locis semper idonei doctores essent, qui uerbo Dei docēdo, et Sacramentis administrandis, hominibus uiam ad cœlos patefacerent, inq; cœlestium bonorum possessionem inducerent. Ad eam rem, cum scholarū prudenti constitutione, tum etiam stipendijs opus esse iudicauit. Quamobrem Argentoratum, urbem florentissimā, in qua literarū & religionis studia præ cæteris tum uigebant, delegit: iuuenes delectos ex singulis oppidis, ad quos beneficium suum pertinere uolebat, Argentoratum mittit, qui liberalitate ipsius tam diu aluntur, quoad cum utilitate atq; honore in patriam reuocantur. Quod unius Bufleri exemplū senatus amplissimus prudentissimusq; Reip. Argentinen. mox secutus, longè utilissimum, pulcherrimumq; gymnasium maximis sumptibus ædificauit atq; collocupletauit: in quo cum omnium bonarum artium disciplinæ, tum in primis diuinarum literarum scientia traderetur.

Quis hanc Bufleri singularem pietatem, pruden-

prudentiam, liberalitatemq; non laudabit?
Quis exemplum hoc tam felicem successum
habuisse non admirabitur? His ille tot tamq;
præclaris summæ tum pietatis, tum liberali-
tatis documentis præstitis, cœpit hortante
Fagio, ut paulò ante dicere cœperamus, ani
mum adijcere, quomodo etiam Hebraicæ lin
guæ studium, quod in Germania in multis
locis tum aut negligebatur, aut ob librorum
inopiam desiderabatur (quod tamen ad uerę
religionis cognitionem plurimum conferre
acceperat) maximos cœpit sumptus facere:
& euocatis Venetijs Isnā doctissimis Iudæis,
procurante Fagio, typographiam instituit,
ex qua re non modo quæstum nullum fecit,
sed ne ad summam quidem expensorum un-
quam peruenire potuit. Quæ res & Fagium
ab omni auaritia longè alienissimum facilè
excusabit. Nam nisi tanta in Buflero liberali-
tas extitisset, frementibus cognatis & hæredi
bus, omnibus suis fortunis, unà cum maxi
mis suis laboribus, fuisset euersus. Buflerus
igitur cum singularem Fagij industriam pie-
tatemq; perspectā haberet, quam ei reliquam
debebat summam aureorū plus mille totam
condonauit: missoq; chirographo Argento
ratum cauit, ne ab hæredibus ullo modo ap

pellari

pellari posset. O uirum præstantissimum, unà cum coniuge matrona pudicitia, pietate, eleemosynarum, omniumq́; uertutum laude spectabili, memoria sempiterna dignissimum. Sed ad Fagium, unde paululum digressa est oratio reuertamur. Scopū hunc præclarum studijs suis præfixum semper habuit, ut ad gloriam Dei collatis sibi donis uteretur, atq; Christi Ecclesię plurimum prodesset: nempe, ut pręter concionandi munus, quod fideliter & syncerè obiuit, linguæ sanctæ propagatione, tam docendis rudibus, quàm edendis in publicum libris utilibus (erat enim iam supellectili typographica cōmodè instructus) opera & industria sua adesset.

Progressu autē temporis, edoctus experientia rerum magistra ad hoc suum institutum persequendū, Isnam multis de causis parum accommodam esse uidet: quare de mutanda sede diu multumq́; cogitat, atq; cum amicis intimis deliberat. Qua uerò fuit conscientia, & amore singulari erga suam Ecclesiam Isnensem præditus, minimè in animū istud sibi induxisset, nisi huic commodo successore prospicere se uelle iam antea constituisset.

Inter familiares multos Fagius intimum habuit etiam Bucerum, qui rogatus de consi

lio ipsius,

lio ipsius, respondit: se non uidere, qua conscientia Ecclesiam suam deserere posset, haud enim uocationes Dei temere esse mutandas. Habere quidem ipsum non leues causas loci mutandi, eas autem ipsum haudquaquam posse persequi, donec de certo & commodo, populoq; grato successore probè constaret: quemadmodum etiam ex autographo Buceri demonstrari potest. Praeterea addidit, cauere ipsum debere diligenter, ne uoti iam compos factus, quieti suae, uel lucro facier do potius consulere, quàm Christi Regno concessis sibi donis promouendo, studeret. Interea tamen Fagio sententia de transferendo domicilio suo perpetuò manebat firma, etiam alijs familiaribus doctis & pijs bene conscijs. Occasio itaq; se tandem obtulit, ut D. Ioannē Marbachium Lindauiensem nancisceretur in sacro ministerio successorem commodū: quo oblato Ecclesia Isnensis probè contenta, parocho suo dictis de causis migrationem permisit liberam.

Postea Anno 41. ut in multis alijs locis, ita Isnae quoq; pestis grassari cœperat: quo tempore quantam Fagius cum animi magnitudinem, tum charitatē solicitudinemq; ostenderit, nullo modo nobis uidetur praetereundum.

dum. Primum cum sciret ciues, præsertim locupletiores, si quando lues ista sæuijsset, oppidũ relinquere, & alia in loca, in quibus aer salubrior esset, sese conferre consueuisse, nulla ratione pauperum & ægrotantium habita. Deinde cum illud etiam, quod ipsis cum multis commune est, ciuitatis institutum non ignoraret, ut si qua in familia pestis aliquẽ infecisset: reliqua tota familia per integrũ mensem domo egredi prohiberetur: sui officij esse iudicauit, de utroq; homines admonere, & ex uerbo Dei docere: & conuincere, utrumq; non modo a pietate Christiana, uerùm etiam à communi humanitate remotissimum esse. Et ut erat in dicendo copiosus & uehemens, facile multorum animos in suam sententiam adduxit: ut pleriq; ciues aut manerent, & diuinæ se suosq; prouidentiæ committerent: aut si qui discedebant, ita discederent, ut gratissimam sui memoriam relinquerent: dum non solum ante abitum suum eleemosynas liberaliter dedissent: sed etiam postq̃ abijssent, non desistebant pauperum meminisse, ipsius cohortationibus commoti, & eleemosynas mittere.

Effecit etiam, ut longe tolerabiliore conditione ij essent, quos Dominus uisitauerat, quàm

quàm antea fuerant. Etsi enim nondum Senatus illud interdictum, quo uetabantur exire, quorum in familia quispiam peste correptus fuisset, penitus sublatum erat: tamen ea prudentia & pietate Senatus fuit, ut homines idoneos sumptu publico constitueret, ijsq; mandaret, ut omnibus laborantibus, qui ipsorum opera uti uellent, adessent, eorũq; diligentissimam curam gererent. Ipse autem Fagius intrepidus omnes laborantes adire: nemini suũ officiũ denegare: dies noctesq; omnibus adesse: ut plane diuino miraculo in tã saeua lue omnium testimonio conseruatus fuisse non dubitaretur. His rebus breui effectũ est, ut ita eleemosynae auctae ac cumulatae sint, ut ex ijs noua domus aedificata, omniq; necessaria supellectili instructa atq; ornata sit: in quã tenuiores e ciuibus, famulitia, & peregrini recipiebantur. Quis huius pastoris fidem, uigilantiam & constantiam non aeterna memoria dignã esse iudicet? Quis itẽ illius Ecclesiae cum obseruantiam atque obedientiam tantam, tum liberalitatẽ tam promptam atq; eximiã non admiretur? non ad exemplũ caeterarum Ecclesiarum cõmemorandam esse arbitretur aut constituat?

Eodem tempore pestis etiam Argentinae

inclemẽtius grassabatur, & prçter alios quosdam uiros doctos, etiam clarissimum illum uirum D. Vuolfg. Capitonem abripuerat: nimirũ morte parochianis, atque adeo omnibus symmystis luctuosissima. Percrebuerat autẽ iam magis ac magis rumor etiam hic, Fagium omnio sedem aliam instituto suo commodiorem quçrere: hinc Bucerus habito consilio Senatorum & Pastorum præcipuorum, statim ad illũ scribit in hanc ferè sententiam: Quandoquidẽ Isnæ diutius manere certis de causis nollet, idque animo iam planè obfirmato, atque ideo uocationẽ apud Academiam uel urbem aliquam insignẽ, suo tamen instituto accommodam, facile amplexurus uideretur, (innotuerat enim aliquibus, quod Hassiæ Princeps ipsius operam et ministeriũ pro sua Academia iam ambiuisset) rogare se suo atque aliorum nomine, ut potius huic nostræ Ecclesiæ atque Scholæ, alumnæ suæ, inseruire: & si Domino uisum foret, D. Capitoni tã in cura pastorali, quam in professione Theologica succedere uellet. Ad oblatam conditionẽ inuitari ipsum prçter alia loci commoditate, usus fori notitia, doctorum auxilio, studiosorũque frequentia, quibus tam docendo in Scholis, quàm edendis libris plurimũ prodesse posset.

Lite-

Literis hisce & aliorum iterum atq; iterum cum Fagio actum fuit: & nisi memoria fallat, etiam coràm: is autem ad petita nō statim annuit, ut qui se pridem uocationi diuinæ parīturum affirmasset: cui, ut bona conscientia accommodare se posset, enixis precibus à Patre cœlesti id petere, aliosq; ut idē pro se faciant, orare & obsecrare nō intermittebat. Cæterū aliquot post mensibus, uidebatur Fagio, ut multos quos Argentinæ haberet amicos semel inuiseret: hoc ubi facit, cum eo actum fuit de supra commemorata uocatione apud nos suscipienda, si contingat eum eligi: quam is modeste primo recusauit: instantibus uerò deinde amicis ipsius, ut saltē concionem unā atq; alteram ad iuniorem Petrum haberet, Ecclesiamq; nostram uerbo saluifico recrearet, passus tandem fuit se persuaderi, euentum interea Domino messis commissum placide expectaturus.

Necessitate iam atq; orbitate dictæ parochiæ exigente, presbyteri eius loci & uiri quidam alij prudentes, nec nō auditores aliquot iudicio præditi conueniunt, penuriam parochi exponunt, ad electionem aliquot, quos Ecclesia iam ab obitu Capitonis audiuisset, proponunt, fit electio, atq; ita Fagius omniū

P 3 fere

fere suffragijs, uti dignissimus, qui optimo Capitoni succedat, in parochum eligitur atque expetitur. Hanc electionē, ut legitime factā, Senatui nostro exponunt, eiusque cōfirmationem petunt atque obtinent. Ista omnia sub autumnū Anni quadragesimi secundi (annum fere integrum a morte Capitonis) contigerunt. Postea Senatus noster, qui beneuolentiae studiosus est erga omnes, maxime eiusdem religionis socios, quicquid hic actū fuerat, Senatui Isnensi significat, & ut istam electionē, liberi iam Fagij ad obstringendū se cui uellet, in meliorem partem (quod persuasissimum ipsi de illius pietate foret) interpretaretur.

Interea Fagius ex mercatu Francofurten. reuersus, migrationem cum coniuge, liberis, familia, instructáque pridem typographia paulo post instituit: nam id uocatio ipsius, de qua paulo ante diximus, exigebat. Verum, nescio quo casu Respub. Constantiensis tum religionis socia, conatum uiri, modis quibus potuit, impedire, ne dicam huic Ecclesiae totum praeripere uisa fuit: certe tantū scriptis & precibus enixis effecit, ut Senatus noster Fagiū ipsius plebi ad biennium ministrare in uerbo & sacramentis permiserit: neque id satis illi uidebatur, nisi tempore hoc iam reuoluto

(cum

(cum totum obtinere non potuit) alterum insuper biennium peteret, quum tamen is ministerium suum, modo per Constantienses licuisset, longe citius hic Argentinæ obire maluisset.

Mutato itaq; rursus domicilio, Fagius, sub autumnum Anni 1544. Argentoratum tandem uenit, ubi honorifice exceptus, ministerium ad quod assumptus erat, fideliter obit. Cæterum elapsis aliquot diebus, rogatur à quibusdam doctis atq; studiosis, ut linguæ sanctę rudimenta unà cum alijs, ad huius meliorem cognitionem facientibus, priuatim ipsis traderet: inter quos fuerunt D. Ioan. Marbachius, Ioan. Lenglinus, Melch. Speccerus, Matthæus Neglinus, & Anton. Reuchlin, qui sanè præ omnibus profecit plurimum: testes huius sunt scripta ipsius in hoc studij genere proximis annis in lucem edita.

Minime uerò silentio prætereundum confeo, quòd Fagius noster libros intereà temporis non paucos parturiebat, quos doctis atq; studiosis linguæ Ebraicæ & utiles & gratos futuros (sic enim ipse in Epistola quadã sua ad Bucerum Isnæ data commemorat) omnino non dubitabat. Sunt autem isti: Commentaria Rabinorum selectiora in sacra Biblia:

ſed'a mendis atq; fabulis quibus ſcatent, diligenter repurgata. Verſio utiliſsimi libri Radicũ Dauid Kimhi, Hebræi ut doctiſsimi, ita in re grammatica excellentiſsimi. Liber rituũ Iudaicorum, quibus antiquitus uſi fuerunt. Collatio uariarũ translationum in S. Biblia ad Hebraicam ueritatẽ. Annotationes in eadem Biblia, quarum iam ſpecimen aliquod in Exegeſi ſua quatuor capitũ Geneſeos edidiſſet. Item Chaldaica Biblia in linguam Latinam'a ſe iam aliqua ex parte uerſa. Et quædam alia hiſce non diſsimilia. Qua in re aliquid cert'e effecit: plura effecturus, ſi difficultas temporum & præmatura mors non interueniſſent.

Erat autem animus illius in hoc totus, ſicuti diximus, ut paulatim ad maiores progreſſus, Eccleſiæ Chriſti commodandi, ſeſe præpararet: ideo domi in ſacris & alĳs literis hoc propoſitũ promouẽtibus, exercere ſe nõ deſtitit. Vnde paulo poſt Bucero, Hedioni et a'ĳs ſymmyſtis uiſũ fuit, ut ſeptimanis alternis tempore pomeridiano Theologiã extra ordinari'e, ut uocant, in ſchola hic public'e doceret. Onus hoc imponi ſibi, præſertim a chariſsimis præceptoribus ſuis, eſt paſſus libenter: ſicq; non parua laude atq; fructu audi-

torum

torũ in hoc munere fuit uerſatus. Habebant autem tum temporis profeſsionem Theologiæ ordinariam duo præclariſsima Eccleſię Chriſti lumina, D. Mart. Bucerus, & D. Petrus Martyr: ſimiliter & D. Caſpar Hedio: ex iſtis, ſi quis uel propter magis ardua Eccleſiæ negocia, uel ualetudinẽ aduerſam munus ſuum obire non poſſet, in eius locum ſufficiebatur noſter Fagius. Interea tamen is, ſi quas alias horas, pręſertim à publicis Eccleſiiæ negocijs, habere potuiſſet uacuas, eas ſane integras in lucubrationes impendere fuit ſolitus: quarum recenſionem diligentem ſuo loco daturi ſumus.

Cæterum qua ſumma fide & diligentia Fagius in miniſterio ſacro rite peragendo uerſatus: quo ſtudio ſingulari iam olim collapſam diſciplinam in Eccleſiam reuocare conatus: qua ſolicitudine paterna erga ſingula Chriſti membra affectus: qua prudentia, dexteritate atq; uehementia in docẽdis rudibus, monendis negligentibus, redarguendis peccantibus, & conuincendis ĳs, qui ſanę doctrinæ ſe oppoſuiſſent, præ multis alĳs ornatus fuerit, haud putamus quenquam uerbis aſſequi poſſe. Certe auditoribus ſuis, præſertim ueritatis ſtudioſis, ſe ita approbauit uita atq;

doctrina, ut amarint & coluerint ut patrem. Quid multis? ita se optimus pastor in omnibus gessit, ut qui D. Vuolfg. Capitoni theologo incomparabili, linguarum plurium cognitione, ministerij Ecclesiastici procuratione, sacrarumque literarum professione succederet, dignissimus sit omnium bonorum testimonio iudicatus.

Idem uir, inter uirtutes uarias quibus eminuit, moribus fuit suauissimis & placidissimis, cunctisque amabilibus: affectu in pauperes atque egenos propensissimo, animo ab omni fastu & auaritia alienissimo, etiam hostibus ueritatis luculenter attestantibus. Adde etiam (quod hoc nostro saeculo fermentato perrarum est) ad Concordiam sanctã studio propensissimo: cuiusmodi sane uirtutes dispensatorem mysteriorum Dei tum primis decent, nedum ornant. Hic si commemorare fusius uelimus, quàm fuerit potens docendo & exhortando: quàm disertus & facundus, prę multis alijs symmystis, etiam alioqui doctissimis: quàm prouerbiorũ germanicorũ ad institutum suum accõmodator & artifex exquisitissimus, uerba apud multos ægre fidem inuentura crediderimus. Satis itaque in præsentia sit, nos horum uel obiter mentionem

uem fecisse, quando plenius explicare, quę in hoc uiro eximia fuerunt, tenuitati nostræ facultas ad dicendum necessaria id denegasse uideatur.

Dum ista fiunt, moritur Fagij pater pijss. Petrus Buchle sub autumnū An. 1548. Eo autem tempore res Germanicę paulatim magis ac magis periculis inuoluuntur maximis: syncerae ac puræ religioni tentationes uariæ, atq; insidiæ callidissimę struuntur: Interimica sphinx, Ecclesijs Christi ex uale malum, tyrannice obtruditur: exilium, crux dira & acerbissima, fidis Christi ministris, deq; doctrina recte sentientibus, passim intentatur: omniū uero maxime ijs, qui iam usu rerum etiam Ecclesiasticarum, pręstantia singularium donorum, dignitate atq; authoritate cunctis ueneranda plurimum præstabant: ipsiq; Antichristo se, pro domo Dei, muros aheneos opponebant. Inter quos, post singulare organum Christi D. Martinum Bucerū, uirum cunctis sæculis laude dignum, haud postremus Fagius extitit. Mansit tamen is perpetuo constans & firmus in ueritatis professione: nihil quicquā ueritus Pontificiorū minas et fulmina, tū omniū crudelissime in optimos et sanctissimos quosq; deseuientia.

Cæterum tot atque tanta, quæ pijs Christi ministris, omniũ uerò maxime antesignanis, in Germania imminebant pericula, nationes etiã exteras latere diutius haud poterant: unde factum est, ut & Bucerus & Fagius, propter ueritatis inconcussam professionem, extremis periculis quasi expositi, diuina prouidentia sic disponente, ab Archiepiscopo Cantuariensi, & Regni Anglicani Protectore, in Angliam, quasi in locũ refugij tutissimum, semel atq; iterum seriò uocarentur: nimirum ut eam nationem fermento Euangelij magis conspergerent. Dimissi itaq; à suis magistratibus, licet inuitis, & temporũ necessitatibus quasi adactis, per terras & maria paulo ante Calendas Maij (ringentibus interea, atq; frementibus plurimis quos habuerunt hostibus, ijsq; impijssimis) in Angliam salui atq; incolumes peruenerunt. Hac diuina in hos benedictione considerata, haud præter rem quis cogitet, Germaniam iam permultũ mutatam ab illa, tantis ciuibus ulterius fuisse indignam. Hæc tamen est fortuna non insolens fidissimis quibusq; doctis atq; Ecclesiasticis uiris, in huius tristissimo incolatu sæculi: donec aliquando lætissimũ illud, Euge serue bone ac fidelis &c. à summo Pastore Christo suo audire contingat.

In

In Archiepiscopi huius aula noui & diu expetiti hospites Germani, honorificentissime excipiebantur permultisq; diebus ibi nō absq; pietatis incremento detinebantur. Sub id uerò tempus subingressi sunt dies, quos uocant, uacantiarum, quibus in Academijs istius regionis anni ferè quartam partē à prælectionibus professores feriantur. Hæc sanè fuit causa, quod Bucerus & Fagius, quamuis id ualde optabant, certis suis ministerijs tempestiuius non sint destinati. Quanquā autem nullum diem absq; linea ducta abire paterentur: tamen prȩter reliquas lectiones atque meditationes, in maxime præclarum & uniuersȩ Ecclesiæ Christi utilissimum opus, prȩcipue erant intenti: nimirum, ut integra Biblia non solum proprietate sermonis, sed etiam succincta, clara tamen, certa atq; perspicua interpretatione, locorumq; difficilium aut pugnantium enodatione ac conciliatione illustrata in lucem ederentur. Habuit hic ipsorum conatus laudatissimus anthorē Archiepiscopum Cantuarien. qui ipsos ad alios labores paratos, ad hunc præcipue tum uocabat, atq; inuitabat. Cuius uoluntati libenter morem gerentes, ipsum opus pari studio & alacritate aggrediuntur: ita tamen, ut ipsius operæ facerent

aliquam distributionem, uidelicet, ut D. Bucerus in explicatione & illustratione Noui testamenti: alter uerò Paul. Fagius in interpretatione et elucidatione Veteris testamenti, cõsideratis fontibus linguarum, elaboraret. Habuit quidem iste labor pulcherrimũ initium: sed tamen illius progressum morbus utriusq; ualde periculosus mox intercepit: cuius etiã effectũ mors Fagij insperata, maxime tamen luctuosa, ut paulo post dicetur, prorsus tandem euertit. Dedit nihilominus uterq; specimen alicuius præclari monumenti, si Deus uitã ipsis prorogasset. D. enim Bucerus Euangeliũ Ioannis auspicatus: Fagius uerò Esaiã aggressus, aliquot capita uterq; in suo opere absoluit.

De aduersa ualetudine Fagij, morte atq; sepultura.

QVia uerò optimi uiri iam diu auide expetebant audire, ubi nam locorum ipsis esset degendũ atq; docendũ, designatur ipsis tandem Cantabrigia, altera regni Academia celeberrima. Verùm, quę rerũ omnium uicissitudo est maxima, eaq; quam aeris atq; dietæ mutatio haud leuiter, sed ferè in deterius promouet, paucis post diebus morbo corripitur uterq;, Fagius tamen grauiori.

uiori. Nam 18. Augusti proxime finem canicularium febri acutissima permultis conflictatur diebus. Postquam autem adhibitis etiam medicinis conuenientibus, nullã morbi leuationem sensisset, proprioq; nidulo multis de causis libentius interfuisset, intra spem & metum cõstitutus, mutationemq; aeris profuturam sibi persuasus, Cantabrigiã paucis post diebus deportari omnino uoluit: manente tũ Bucero & ipso ualetudinario diutius Londini, præter uoluntatem: ut qui amicissimo sibi fratri & Collegæ adesse perpetuò & indiuulse cupiebat. Quàm autẽ ipsi diuulsio ista fuerit tum inexpectata, tũ acerba, literis suis paulò post ad Christoph. Scelium generum suum scriptis prolixe testatur. Quare omnem dabat operam ut quàm primum fieri posset, ad illum se cõferret: quod tamen ante Nonas Nouemb. ægrè fieri potuisse percepimus.

Cæterum hunc Fagij morbum satis per se acutũ & periculosum, solicitudo atq; ardens uotum pro salute adflictissimæ Germaniæ, nedum Ecclesiæ, à qua nuper improborum machinationibus fuerat auulsus, ad ingratũ exilium iam accedentes, non parum exasperarunt. Neq; tamen is, qua semper eximia pietate animiq; constantia ornatus fuit, consola-

tionis

tionis pastori animarum dignæ immemor extitit, ut quę laborantibus & oneratis omnibus gratißsimã promittit refectionem. Cruciatus itaq; quos acerbißimos sensit, agnoscit esse saluberrimã Patris cœlestis castigationem, qui se filijs suis dilectis eiusmodi aduersis magis ac magis agnoscendum & plenius redamandum proponere solet: agnoscit etiã omnia tandẽ ipsi cooperatura esse in salutem, propter filium suum Christum saluatorem. Hac fiducia atq; spe certißsima fretus, ad patientiam animum suum pridem Spiritus S. gratia obfirmatum habuit: nimirum certißimus, quod is cui credidisset, depositum suum ipsi seruaturus esset in illũ usq; diem, quo dissolutus cum Christo posthac uiueret.

Diebus itaq; decem, quibus Bucerus ęgroto adesse potuit, multis uarijsq; colloquijs atq; sanctißsimis consolationibus se mutuo recrearunt: additis subinde ardentißsimis ad Patrem cœlestẽ in Christi nomine fusis precibus, aduersus mille artificis insidias atq; tentationes ingruentes. Inualescente uerò morbi acerbitate atq; uehementia ad summũ usq; gradum ita, ut uires naturales optimũ uirum iam destituerent penitus, læto animo, in uera inuocatione filij Dei, agni immaculati pecca

ta mundi expiantis, Idibus Nouembris uitā hanc caducam cum sempiterna commutans, placidè in Christo obdormiuit, annos iā natus 45. Atq; ita, quod dolendum fuit, antequā ingenij sui & eruditionis specimen aliquod Anglis ædere potuit, in cœlestē Academiam beatorum spirituum immigrauit: quantis gēmitibus, suspirijs, lachrymis, uxoris, liberorum, collegæ Buceri, atq; aliorū amicorum, dici uix potest. Horum omnium euidentissimum nobis præberent testimonium, literæ Buceri Cantabrigia ad fratres et symmystas huc scriptæ: si eas ad manum iam habere datum atq; concessum fuisset.

Sequenti die cadauer uiri iam beati honorificè tradidum est sepulturæ, in æde D. Michaelis, cuius funeri deducendo interfuerunt præter Bucerū, non pauci de Academia atq; oppidanis uiri primarij. Quod autem celebritas hic tanta non fuerit, quanta in Buceri sepelitione, mirum non est: partim quod Fagij notitia & gloria non ita orbem penè iam totū peruasit: partī uerò quod propter morbi pręoccupationē, studiosis & doctioribus Academiæ uiris, nondū defuncti pietas cum eruditione præsertim linguę Hebraicę atq; Chaldaicæ innotescere potuit. Non pauci tamen

men fuerunt, qui ſcriptis Epitaphijs funus ip ſum ſunt proſecuti, quæ ſi ad manus noſtras perueniſſent, digna gratitudinis exhibitione, & ipſa in lucē edere perlibenter uoluiſſemus.

Hæc habuimus in præſentia, optime Lector, quæ de uita atq; obitu Pauli Fagij, præceptoris nobis chariſsimi, tecū fideliter communicanda eſſe duximus. Reſtat nunc aliud nihil, quàm ut iſtud noſtrum qualecunq; pietatis atq; gratitudinis ſtudium æqui boniq; conſulas: id quod de candore tuo rogatum, adeoq; iam exoratum eſſe, percupimus.

CATALOGVS SIVE INSCRIPTIONES LIBRORVM OMNIVM, QVOS PAVlus Fagius in lingua Ebræa & Chaldæa uir doctissimus, annis sex in lucem edidit.

IN FORMA FOLII.

LExicon Caldaicum, authore Elija Leuita, quo nullum hactenus à quoquã absolutius editũ est. Omnibus Hebraicæ linguæ studiosis in primis & utile & necessarium. Cum prefatione triplici, una Hebraica ipsius authoris Eliæ, à Paulo Fagio latine reddita: reliquis duabus Latinis ab eodẽ præfixis, una ad Lectorem, altera ad D. Vuolfg. Capitonem.

Sæpher Tehillim. hoc est, Psalteriũ, cum Cõmentario R. Dauid Kimhi, Hebraicè excusum Isnæ, Anno minoris supputationis à Creatione mundi.

Commentarium Hebraicum R. Dauid Kimhi in 10. primos Psalmos Dauidicos, cũ uersione Latina è regione: pro exercitamento omnibus Hebraicæ linguæ studiosis: qui bus

bus ad legenda Hebræorum Commentaria animus est, per Paulum Fagium.

Thargũ, hoc est, Paraphrasis Onkeli Chaldaica in sacra Biblia, ex Chaldæo in Latinũ fidelissimè uersa: additis in singula ferè capita succinctis Annotationibus. Authore Paulo Fagio. Pentateuchus, siue V. libri Moysi.

Consilium & utilitatem æditionis huius Chaldaicæ ex præfatione ad Lectorem intelligere poteris.

Collatio præcipuarum, quæ in usu sunt, translationum Veteris Testamenti, in præcipuos sacræ Scripturæ locos, in quibus cum interpretum, tum Commentatorum mira est uarietas. Ex qua non tam ipsas uariationis causas quàm quis interpretum, ac expositorum cum ueterum, tum recentiorũ, uel à scopo ueritatis longius aberrarit: uel ad illum propius accesserit: ex ipsa ueritate Hebraica pulchre cognoscere licebit.

Autore Paulo Fagio.

Opus inabsolutum, partim propter illorum temporum difficultates: partim propter exiliũ & obitum præmaturum optimi atq; doctissimi uiri paulo post subsecutum.

IN FORMA QVARTA.

Opusculum recens Hebraicum à doctissimo Hebræo, Elija Leuita Germano, grammaticè elaboratum, cui titulum fecit, Thisbites: In quo DCCXII. uocum, quæ sunt partim Hebraicæ, Chaldaicæ Arabicæ, Græcæ & Latinæ, quæq; in Dictionarijs non facile inueniuntur: & à Rabbinis tamen Hebræorum in scriptis suis passim usurpantur: origo, etymon, & uerus usus doctè ostenditur, atq; explicatur Per PAVL. Fagium, in gratiam studiosorum linguæ sanctæ, latinitate donatum.

Sententiæ uerè elegantes, piæ, mireq; cum ad linguam discendam, tum animum pietate excolendum utiles, ueterum Sapientum Hebreorum, quas Pirke Auoth id est, Capitula, aut si mauis Apophthegmata Patrum nominant, in Latinum uersæ, scholijsq; illustratæ Per PAVLVM Fagium.

Exegesis, siue expositio dictionum Hebraicarum literalis & simplex, in Quatuor Capita Geneseos pro studiosis linguæ Hebraicæ, Per PAVLVM Fagium. Cuiusdam scriptū Judæi, ad Christianismū conuersi ante annos CC. in quo obiter ostendit causas aliquot, propter

propter quas multi Iudæi, etiam si ueritatē agnoscant, ad fidem tamen nostram accedere uerentur.

Sententiæ morales ordine Alphabeti Ben Syræ, uetustissimi authoris Hebræi, qui à Iudæis nepos Hieremiæ Prophetæ fuisse creditur: Cum succincto commentariolo, Hebraicè & Latinè.

Tobias Hebraicè, ut is adhuc hodie apud Iudæos inuenitur. Omnia ex Hebræo in Latinum translata in gratiam studiosorum linguæ sanctæ, Per PAVLVM Fagium.

Sæpher æmana, id est, Liber fidei, Hebraicè impressus Isnę Anno CCCII. minoris supputationis à Creatione mundi.

Liber fidei, preciosus, bonus & iucundus, quem edidit uir quidam Israelites sapiens & prudēs, ante multos annos, ad docendum & comprobandum in ea argumentis sufficientibus & euidentibus, quod fides Christianorum, quam habent in Deum Patrem, Filium et Spiritum S. atq; alia, perfecta, recta, & indubitata sit, collocata super fundamentū legis, Prophetarum, et Hagiographorum. Ideo uocauit nomē eius Sępher æmana, i. Liber fidei seu

seu ueritatis, ad illuminandũ in eo oculos cæcorum, & ad ducendũ in uiam rectã errantes. Translatus ex lingua Hebræa in linguam Latinam opera PAVLI Fagij.

Precationes Hebraicæ, quibus in solennioribus festis Iudęi cum mensę accumbunt, adhuc hodie utuntur: & quo modo, ordine & ritu eas dicant. Ex quo uidere licet, uestigia quędam ritus ueteris populi, quem & Christus Saluator in sacrosancta Cœna sua, uti eam Euangelistæ, præsertim Lucas, describunt, in quibusdam obseruauit.

Paruus tractatulus ex libello Hebraico excerptus, cui nomen est Sępher æmana, id est, Liber fidei. Iudęi cuiusdam ad Christianismũ conuersi ante Annos CC. in quo obiter ostendit causas aliquot, propter quas multi Iudæi, etiam si ueritatem agnoscant, ad fidem nostram accedere uerentur. Per PAVLVM Fagium translatus.

Sępher Midoth, id est, Liber uirtutũ Germanice compositus, Hebraicis tamen characteribus exaratus.

Grammatica Helię Leuitę Hebraice excu

sa

sa Isnę, Anno à Creatione mundi CCCII. minoris supputationis.

Compendiaria Isagoge in linguā Hebrę̄ā. Authore PAVLO Fagio.

Prima Quatuor Capita Geneseos Hebraice, cū uersione Germanica è regione, Hebraicis tamen characteribus excerata, eaq; iuxta usitatam Iudęorum interpretationem, ad uerbum translata, unà cū succinctis in fine adiectis scholijs, & ratione legendi Hebręogermanica.

Tredecim fundamenta fidei Iudęorū, quę cōposuit R. Mosche filius Maiemon: Hebraice excusa, absq; ulla uel loci uel temporis notatione pręfixa, aut subscripta.

IN FORMA OCTAVA.

Nomenclatura Hebraica, authore Helia Leuita Germano Grammatico: In gratiam omnium tyronum ac studiosorū linguę sanctę.

FINIS.

HISTORIA DE ACCVSATIONE, CONDEMNATIONE, EXHVMAtione, atque combustione excellentissimorum Theologorum D. Martini Buceri, & Pauli Fagij.

ANNO DOM. M. D. LVI.

ARDINALIS POLVS, Triennio postquàm in Angliam redierat, ab cęteris Regni negocijs reuocata paululũ cogitatione, compositáque, per omnes partes Religione Pontificia, quæ iam aliquot annis, Regnante Edoardo sexto, antiquata, in desuetudinem abierat, ad Academiam Cantabrigiensem, quæ & ipsa quoque in primis reformatione uisa est indigere, primo quoque tempore animum adiecit. Quippe inutilem fore laborem iudicauit, qui in purgando reliquo corpore poneretur, si pars illa, unde reliqua membra aliméti subsidium haurirent, in ægritudine relinqueretur. De-

Inquisitores quinque constituti.

lecti ad hoc negocium, Cuthbertus Scotus, non ita multo antè inauguratus Cestrensis Episcopus: Nicolaus Ormanetus Italus, Archipręsbyter plebis Bodoloni, Veronensis diœcesis, in utroque iure professor: Thomas Vvatsonus, electus Lincolnensis: Ioannes Christophersonus electus Cistrensis: & Henricus Colus Collegij Etonensis Præpositus. Cur his potissimum, hæc res demandata sit, suberant causæ satis idoneæ. Quod enim Ormanetum spectat, notum erat, esse eum hominem magno in precio apud Iulium tertium: (erat is eo tempore summus Pontifex, cuius negocium ista Legatione procurabant.) & ipsum propterea ad hoc Anglicanum iter, cum Polo Cardinali, de industria designatum, quod sine illius cognitione, in quo maximè Pontifex confideret, nihil quod esset alicuius momenti & ponderis, geri uolebat. Cęteri uel propter experientiam rerum Academiæ huc missi sunt, uel è reliquis uidebantur maximè idonei, quibus ea causa credi deberet: quoniam Pontificiæ religionis, rerumq; ad eius stabilitatem

tatem pertinentium, acerrimi propugnatores habebantur. Non deerant, qui suspicabantur Scotum, Vvatsonum, & Christophersonum, quoniam odium esset ipsis cum illius Academiæ nonnullis, à quibus paulo antè se lęsos esse putabant, nunc autem propter tempus occasionem esse animaduertendi in eos pro arbitrio suo arbitrarētur, profectionem istam studiosè procurasse.

Hi sic designati, intereà dum ad uiam sese comparant, literas præmittunt ad Andręam Pernum eius anni Procancellarium. Huic mandant, ut ad undecimum Ianuarij diem, intra horam octauam & decimam, denunciet eorum nomine, adesse omnes ordines Accdemiæ in Ecclesia beatæ Mariæ uirginis: (est is locus propter publicos Academiæ conuentus & coitiones celebris, non longè ab eius oppidi Cantabrigiensi foro situs, quo si quando uel sacra publicè facere, uel pro concione aliquid dicere oporteat, omnes cōuocantur): Iubēt ut se ipsum in primis pararet, moneret pręterea uniuersos quorum interreat, ut Academiæ Citatio præmissa institutæ actioni.

ipsius, adeoq́ reliquorum Collegiorum statuta, priuilegia, libros, monumenta deniq; omnia, quæ cuiusquam ipsorum essent, peruestigarent: eaq́; ad eum diem illis exhiberent: & iuxta se quoq; unusquisq; eo loco sisteret. Ipsos illo in tempore adfuturos, & simul quæ ad hoc negocium reformandę Academiæ opportuna essent, in medium allaturos: porrò quæ è re ipsius fore, quæq́ ab illis fieri opporteret, prout Canonicis institutis magis uideretur conuenire, apertis uerbis demandaturos. Has literas locis maximè idoneis Procancellarius affigi curat.

Academię perturbatio de futura reformatione.

Erat in expectatione reformatio ista iam aliquot menses. Nunc uerò postquam de ea certò constaret, mirum in modum animi singulorum permouebantur. Alij, quòd adesse nunc tempus, in quo liberè, non dicendi solum, sed agendi etiam quiduis in suos aduersarios, qui Pontificias anteà nugas proiecerant, licere existimarent, mirificè exultabant. Alij, qui ipsos fore in periculo cernebant, se diligenter circumspicere, et

rationes

rationes omnes, quibus expectatis difficultatibus se explicare possent, inire cœperunt. Nonnulli, certorum hominum, qui apud illos formidabiles Legatos gratiosi fore cognoscebantur, amicitias ambire: quidam offensas suas agnoscere, precariq; ueniam ab his, à quibus ipsi antea affecti essent iniuria: plerosq; deprehendere licebat, qui magno quidem studio cõplecti se ueram doctrinam antea simulabant, sed uita & moribus uehementer eam deformauerant: & quę spiritus esse debebat libertas, eam ad suas transtulerunt cupiditates, ut quiduis sibi licere putarent: ij purgandi sua scelera, hanc esse unicam rationē arbitrati sunt, si aliorum, quorum antea amicitias sequebantur, accusatores forēt. Se quidem ipsos, quò & fidem faciant, se non dissimulanter religionem Pontificiam sectari, & maiorem apud Legatos gratiam ineant, ad ordines sacerdotales, primo quoq; tempore transituros pollicentur. Fore enim hanc rem intellexerant Legatis illis ualdè gratam: qui sic quidē comparati erant, ut sicut neminem, qui sese

offerre uellet, repellerent ab illo ordine, ita ingeniosissimum quemque maximo conatu eò adhortarentur.

Cur suscepta reformatio Academiæ.

Diximus initio, uisum esse Cardinali, Academiæ opus esse emendatione. Eius rei hæc erat ratio: uel quoniam illa, ex longa multorum annorum memoria, deiecto Pontificis iugo, ad sanam doctrinam, quæ hæreseos insimulata est, cœpit propendere: uel, quia & propter recentem schismatis memoriam, & propter doctrinam D. Martini Buceri, qui non ita multò ante, publicè in ea Academia sacras scripturas interpretatus est, quamplurimos cernebant tantum corruptionis & macularum, ex ista contagione imbibisse: ut, sicut in publico incendio diffusa flamma, nisi maturè remedium adhibeatur, haud facilè uideretur multis deinceps annis posse extingui. Esse autē uerendum, si negligeretur, ne ut in ægris corporibus ferè fit, malum hoc uires sumeret, & partes quæ adhuc syncerę essent, uicinitate conspurcarentur. Fuit hoc Anno salutis humanę, supra millesimū quingentesimū, quinquagesimo sexto.

Vt igitur medicinam huic morbo facerent, ueniunt Cantabrigiam, quos diximus, Legati Ianuarij die nono. Illis, dum adhuc sunt in uia, non longè ab ipso oppido, ex Præsidibus Collegiorũ nonnulli occurrunt, & pro ut decebat, humaniter primò ad ipsum oppidũ, indè ad hospitium usq; deducunt. Excepti sunt in Collegio Trinitatis à Ioãne Christopherson, eius domus præfecto, paulo antè electo in Cicestrensem Episcopum. Inuitati alius alió, ubi subesset aliqua ratio officij declarandi, aut ostendendæ uoluntatis: Colus à Regijs, Vvatsonus ab Ioannensibus. Cæterùm siuè propter familiaritatem cũ Christophersono: siuè propter amplitudinẽ domus ipsius, quæ, cum omnes capere posset, hoc ipso uisa est magis oportuna ad ineunda consilia, & facilem accessum conuenientibus præbebat, huc omnes diuerterunt.

Inquisitorum aduentus, & ubi excepti.

In ipsorum aduentu, habita est coram illis oratio gratulatoria, à socio quodam illius domus, qui aliorum omnium nomine, pergratum esse eorum aduen-

Oratio in eorum aduentu habita.

tum, multis uerbis testificatus est: se, uerò in primis, & collegas suos, per magnas agere gratias, quòd tale iudicium de illis fecissent, apud ipsos præcipuè hospitium deligendo. Hoc facto suo, & animos eorum, ad meliorem spem amplioris cuiusdam beneuolentiæ erga ipsos accendisse, et ista sua præsentia, Collegium ipsum non mediocriter cohonestasse. Itaq; ab ipsis uicissim ea studia, quæ ad summam obseruantiam pertinerent, licere illis expectare. Huic respondet Vuatsonus, istam, ad humanitatis officia, propensionem animorum & uoluntatū, sibi suis'q; pergratam esse: adhortari porrò, ut in eadem uellent constanter persistere, et cum opus sit progredi etiam. Tam abesse autem, ut hunc illorum cursum tardare uellent, ut sua sponte sic currentes, concitatius etiam uti currant, sint incitaturi. Non frustra inductos, ut de illorū beneuolentia sperarent: Se quidem, ipsorum gratia, nihil non esse facturos, quod è re illorum esse possit.

Hoc die, quoniam sub uesperum uenerant, etiam sol ad occasum festinaret, nihil prę-

hil prçterea est actum. Diem sequentem, erat is Ianuarij dies decimus, ad seipsos recreandos ab itinere, & reliqua componenda dederunt. Verum, ne is omnino inanis præteriret, duo illa templa, beatç Marię uidelicet, ubi D. Martinus Bucerus, & Diui Michaëlis ubi Paulus Fagius sepulti sunt, hoc die sacris interdicunt. Hi iam anteà è uita decesserant, Fagius, uix dum ingenij & eruditionis prima indicia dederat, cum ad superos emigraret: Bucerus superuixit paucos mense, in quibus, cum scribendo, tum legendo & concionando publicè (in quo nunquam sibi aut suæ ualetudini laboriosus senex in uerbo Domini pepercerat) tãtam omnium admirationem conquisiuit, ut illius & singularem uitam, & doctrinam sinceram, neq; amici unquam satis laudare, neque inimici, uel leuiter reprehendere potuerint. Eius rei certissimum sit indicium, pompa funebris, quæ tanta omnium ordinum celebritate et applausu condecorata est, ut nihil, ad illius amplitudinem, quocunq; modo posset accedere. Huius tota actio, à Nicolao Carro homi

Templa beatç uirginis & Michaelis interdicta sacris.

ne erudito, commentariolo quodam ad clarissimum uirum D. Io. Checum equitem perscripta, ab eodem adiecta episto-la consolationis plena, super illius obitu, ad ornatissimum uirum Petrum Martyrem, agenté tũ Oxonij, transmissa est.

A funere Buceri et Fagij, ad istorum legatorum aduentum, intercesserunt iam quatuor anni, plus minus. Indè ab eo tẽpore, quo est mortuus Edoardus sextus beatissimus Rex, ad illum diem, nunquã desierunt sacrificuli suas missas, et omne genus suorum sacrorum, illis locis celebrare. Idq; quantum poterat intelligi, sinè scrupulo. Cæterum ubi uenissent isti, quę antea pro sacris sunt habita, nunc ceperunt denunciari prophana: itaq; conuentus illos, qui deinceps sacrorum causa fierent, ad capellam collegij Regij, quę reliquis omnibus multis partibus magis erat conspicua, indicunt. Venerat nũc dies undecimus, in quo se Academię Procancellarius, collegiorũ prępfecti, atq; adeo omnes omnium domorum ordines, sese Dominis illis legatis sistere iubebantur. Conueniunt igitur magno numero ad Collegiũ Trinitatis: ubi eos exceptos

esse hospitio, suprà demonstrauimus: parati, quò illi ire uellent, indę prout decuit, eos deducere. Ibi tum Ioannes Stoksus, publicus orator Academię factionis papisticę, (neq; enim alij eo tempore ad ullos honores promouebātur) uerba ad eos facit nomine cæterorum. Et cum antea haberet actionis capita quędam à Cestren. & alijs quibusdam illi pręscripta, multa de Academia, multa de ipsis, nonnulla etiam de religione pręteritorū temporum, quę nulla neque oratione, neq; concione pretermissa est, testificatur.

Primum quidem Academiam, quę in expectatione aduentus ipsorum aliquandiu solicita fuerat, eandem nunc pręsentia illorum ualdè recreatam, libentissimè uultus eorum intueri dixit: et ad demonstrandam hanc uoluntatis suę testificationem, uniuersam se suosq; omnes effudisse: conuenisse in illum locū totam Cantabrigien. frequētiam, adesse ibi omnes ordines, de quorum certa & explorata sibi ad hanc rem uoluntate, illud publica fide, apud eorum amplitudinem, in se recipere, eos & singulos separatim, & coniunctim omnes, optatissimum hunc eo-

Oratio Ioannis Stockij oratoris Academiæ.

tum aduentum, mirificis ſtudijs, & conſentientibus animis gratulari. Illud enim omnes animis ſuis habere perſuaſum, ſimul negotium hoc, quod eo die auſpicarentur, ad Academię rationes fore accommodum: & in re ad cõmunem ſalutem tam neceſſaria, nullam eorum operam, nullum laborem defuturum. Multa eſſe ad hanc opinionem confirmandam, attamen cętera prętermiſſurum, ea tãtum oratione attingere uelle dicebat, quæ ita cum pręſenti negocio cohęrerent, diuelli ut ab eo diſiungiq́ nulla ratione poſſint. Atque eſſe illa quidem numero certa & finita, ſed re & uirtute ualdè immenſa, nulla ut ullius dicendi facultate poſſent plenè comprehendi. Iſta donec breuiter recenſeret, precatur faciles ſibi aures preberi.

Indè tum aliud dicendi initiũ ſumens, orditur ab ipſo cardinali Polo: hunc religioné oppreſſam reſtituiſſe, ruinas Reipub. ſuffulſiſſe, decreta leges'q́ maiorum iam diu antiquatas, quaſi poſtliminio reduxiſſe ait: Iſtum, iſtum Polũ, Anglum, uere noſtrum Moyſen, legationis iſtius

esse authorem: à cuius excellenti uirtute, plurima in omnes suæ patriæ partes, cõmoda dimanarunt. Quo uno uinculo ne cessitudinis, etsi omnibus temporibus, optima sperare ab eo, Academiæ liceret, quòd ex corpore esset ipsius Reipub. sub esse tamen arctiorem atq; interiorem causam, quæ illi cum Dominatione ipsius separatim intercesserat. Superiore ipsum anno, eius procurationem in se humanissime quidem recepisse, quàm sanè liberali custodia ita septam se tenere uelle, literis confirmabat, ut non solum incommoda, si quæ essent, quibus affligerentur eius studia, submoueret, sed adijceret etiam ea omnia ornamenta, quorum splendore augeri dignitas Academiæ, aut maximè etiam illustrari posset. Hanc rem & spem antea nostram confirmasse: & nunc in illam cogitationem nos adduxisse, ut putaremus omnem illius humanitatem, in hanc unam uisitationem esse collectam: in qua quidem, ea se ab illis expectare omnia, quæ diuinissimi Cancellarij summus amor, præter communem charitatem, Academiæ

miæ

miæ,quasi pupillæ suæ, propriè pollicere-
tur. Optare quidem se,adesse hoc tem-
pore ipsum Cardinalem, si id sine Rei-
publicæ detrimento fieri posset, & Aca-
demiam suam, è tenebris & profunda
nocte emersam, ipsum suis radijs,& cla-
ro ueræ religionis splendore, illustrare:
Verum optioni suę publicam utilitatem
repugnare: qua, quoniam esset impedi-
tus sanctißimus sedis Apostolicæ Lega-
tus, ipsos uicarios prudenter substituisse,
quorum & naturas, propter prudenti-
am: et personas, propter dignitatem: &
uoluntates, propter educationem, ap-
tißimas ad hanc ipsam rem existimauit.
Quapropter illùd uerè,& ex animis om
nium qui adessent, se affirmare posse di-
cebat, ipsos esse uiros, quorum religio-
nem omnes amarent, uirtutes colerent,
uoluntatem, fidem & consilium, ad sa-
lutem publicam implorarēt. Postquam
enim singulari, & præstantißima uirtu-
te Cardinalis Poli, ex superiorum tem-
porum caligine & tenebris, Lucem in
Repub. respicere cepерimus, unà certè
grauißimæ ætatis nostræ mala sensisse.

Quibus

Quibus profectò infinitis & miserrimis etsi anteà premeremur, tamen ad calamitatis magnitudinem accessisse eiusdem ignorationem: atque adeo eius opinione, eò esse magis miserabiles iudicandos, quod & tam turbulenta tempestate iactati, neque moueri quidem nos: & tam graui conscientię & hæresis morbo oppressi, neque ægrotare nostras mentes intellexerimus. Valdè periculosam esse ægritudinem illam, quæcunque sine doloris sensu, naturam conficit, & affectos prius sæpè extinguit, quàm ægrotare se fateantur. Huiusmodi morbo Academiam laborasse, & quæ ad alias fortasse res satis erat solers & ingeniosa, in hac causa religionis, propter caput Ecclesię læsum, unde omnis sentiendi facultas esset, omnino stupidam & sine mente fuisse: quoad tertio antè hunc anno, diuina Sanctissimi patris Iulij tertij clementia, Angliæ fermè emortuæ miserata, nos iterum Ecclesiæ inseuit, uitam sensusque recreauit: (cuius ope conualescens Britannia, quàm certa gehennæ pericula effugerit, iam facilè intelligere; Idem

nunc

nunc Academiam acutius cernere, nec quidquam mali uſpiam accidiſſe putare, quo ſane regio illa, in hac religionis uaſtitate & ſchiſmate, non ſit miſerrimè afflicta.

Longum fore, recenſere euerſa monaſteria, ſpoliatam Deorum immortalium delubra, ſtragem ſacerdotum, cædes nobilium, tumultus et motus populi, totius regni egeſtatem. Quę etſi aliũdè poſſent accidere, tamen cum tam grauia eſſent, ut opprimerent, ultionis & uindictæ potius, quàm probandi cauſa infligi in malos & nocentes putat. Interim ſi concederentur iſta fortunę eſſe ludibria, grauiora multò fuiſſe paſſos, religionis & conſcientiæ detrimẽta. Pietatem in Deos, unà cum ipſis aris exulaſſe, uirginalem ſacerdotum profeſſionem ad libidinem ſolutam eſſe, animos iacuiſſe quaſi conſopitos, quos nullę ceremoniæ excitarẽt, mentes ipſas uarietate opinionum ita diſtractas, ita ſibi diſſentientes, ut infinitis erroribus implicarentur. In his fuiſſe duos pręcipuos fontes, ex quorum riuulis & hauſiſſe Academiam paulò liberalius, et

ipſa po-

ipsa potione, ferè inebriatam se confiteri. Priorem, ortum habuisse ex illa nostri uiolenta diuulsione à catholicæ Ecclesiæ unitate, re non dissimili illius pugnæ, quam olim in intestina ciuium discordia, Menenius Agrippa, de corpore humano memorabat. Posteriorem, ex immensa palude, & cœno Vvicleuiano emanasse: quem celebris apud ipsos, immò miserabilis de Sacramento altaris disputatio patefecerat. De cuius rei ueritate, plerosq; suo sensu abundantes, pro arbitrio quemque suo statuisse: Se uerò philosophos, nec illos quidē optimos imitatos, ex Epicureorum schola, ad scripturæ lumen aliquid attulisse. Etenim quæ Christus præcisè omnino, & sine exceptione, de corporis sui uera & perpetua præsentia dixisset, id ipsos ita interpretatos esse, ut mancam & alienam Christi uocem iudicarent, nisi illa Epicuri propria particula(quasi) adderetur: & quod Christiani corpus & sanguinem, illos nunc Epicureos, quasi corpus, & quasi sanguinem, dicere.

Sed non esse illius temporis præterita

nimium meminisse, optare etiam, aliquando æterna obliuione deleri posse, nè ulla tantæ labis memoria propagaretur ad posteros. Leuiter tamen esse attingendà: generatim quidem, quòd errantibus confessio esset salutaris: membratim uerò, quoniam Academia his uulneribus à censoria potestate confecta, à censoria medicina ad salutem reduci postularet. Ipsam pro se & suis, spondere, omnes fore in illorum authoritate, quos assiduis concionibus, ita ad pœnitentiam reduxerat, ut eos & ad sanam religionem fidissimè transiuisse, & in eadem diligenti præsentis uitæ usu, superioris ætatis damna sarcituros, iustissimè debeant sperare. Nam & primos in isto cursu acerrimè in eo contendere, quòd tam uoluntariè susceperant, & eos qui tardius egressi quasi pomeridianis horis, ad hoc certamen accesserunt, ea certè prebere immutatæ uoluntatis indicia, ut quomodo temerè & iuueuiliter à uera religione defecerant, ita nō nisi maturos & cum iudicio ab hæ

resi ui-

resi uidentur desciuisse. Vniuersis uerò simul restitutam & desideratam religionem magis placere, quàm si assiduè percepta, neq; ad tempus aliquod obscurata fuisset.

Quapropter Academiam supplicem & prostratam, primùm à Deo immortali ueniam petere, precariq; ab eo, ut illum diem ad suorum salutem cõseruandam, & ad illam Rempublicam constituendam illuxisse pateretur: deinde pro se, pro suis, pro uniuersis, pro singulis hanc petitionem ad eorum celsitudines afferre, ut superiorum annorum offensas, ex inscitia et errore profectas, præsenti hominum industriæ uellent condonare. De reliquis uerò, ita pro summa prudentia illorum & singulari erga ipsos amore sententiam ferrent, ut causas eorum aut iustitia bonas inueniret aut, clementia ipsorum bonas esse faceret. In utroq; beneficium fore par, siuè Academiam pro causæ æquitate iudicarent, siuè pro amoris abundantia innocẽtem eam esse uellent. Omnes eos qui adessent, pro referenda

gratia, summam in sacris modestiam assiduam in literis operam, perpetuum ueræ religionis amorem, sempiternam illius beneficij memoriam, repromittere.

Responsio Episcopi Cestren.

Vbi ille perorasset, Cestrensis ad ea respondet, ualdè sibi gratũ esse, quòd tam apertam uoluntatis suæ erga ipsos significationem Academia dedisset: ingentes uerò agere gratias eo nomine: orare denique, ut quæ uerbis & oratione de seipsa prolixè esset pollicita, ea re ipsa & factis præstare uellet. De ipsorum quidem beneuolentia nihil esse cur dubitent. Non enim eò ipsos uenisse, quò grauius quidquam in resipiscentes decernant: uerum & Cardinalis ipsius, & suas quoque cogitationes omnes, ad beneuolẽtiam, pacem atque concordiam spectare: neque quidquã uehementius expetere, quàm ut ij qui ab errarunt ac defecerunt, in uiam redeant. Reuerendissimum Cardinalem, quem optaret adesse, & ipsum quoque idem optasse, neque quidquam illum magis cupere, quàm Academiam, pupillam suam, (agnoscere enim libenter tutelæ officiũ) suis manibus, & labentem sustinere, &

erige-

erigere etiam iacentem. Valdè sibi dolere preteritorum temporũ contagionem, tam graues morbos uulgasse, ut eorum afflatu Academia & ipsa attacta sit. Multo illum libentius uisendi ac salutandi illius causa, quàm castigandi occasione uenire uoluisse, si per negotia regni licuisset: nunc autem cum hoc illi integrum non esset legationem istam instituisse, in qua uicaria ipsorum opera usus sit, qui quoniam esse Academiam in precio apud illum sciebant, magis diligerent, et quoniam eiusdem aliquando fuissent alumni, uehementius complecterentur.

Ad summam huius negotij spectare, ut qui aberrassent faterentur sua delicta, & in uiam redirent. Permagnum enim ad sanitatem progressum fecisse, qui se deliquisse agnoscerent. Itaq; prudenter ab illo positum esse, nolle se uel Academiæ, uel aliorum quoq; hominum delicta omnino excusare, sed fateri culpam, & agnoscere, non esse nulla quæ corrigi debeāt & emendari. Ideo autem se missos ut lapsos erigant, & resipiscentes in gratiam recipiant: et in ea re si fortè apud

quosdam (quod nō sperent) minus profecerint, ipsos tamen pro suo officio nihil esse reliqui facturos ad summam diligētiam. Esse apertius quàm ut dissimulari amplius possit, multos multa facere proteruè, ac insolenter sumere sibi magnos spiritus. Se quidem grauiter illud & moleste, prout decet, ferre, cupere etiam ei malo medicinam facere. In quos si quid acerbius statui uideretur, esse id suis meritis, non ipsorum uoluntati assignandum. Neque illos qui sani essent oportere aliorū castigatione quicquam permoueri: pertinere hoc non solum ad eluendam illam maculam, quę nunc inhæreret Academiæ, sed etiam ad plurimorum salutem, qui ex illorum contagione multum accepissent incommodi. Se quidem magis ad clementiam quàm ad seueritatem ullam inclinare: sed quoniam tam graues morbi non possent lenibus medicamentis curari, ueniendum esse necessario ad uehementiora. Quod si se ad sanam mentem reduci uniuersi paterentur, (quod illi maximè omnium cuperent: optare enim se ut omnes resipiscant,

piſcant, & ſalutaribus conſilijs maturè acquieſcant) quòd ſi poſſit impetrari, ſi & errorum ſuorum iam tandē tædium capere poſſet, & patrū, ſuosq; antiquos mores uellent pro illis ſumere, licere ſibi ab illis omnia humanitatis & beneuolentiæ officia expectare in hac tota reformationis actione, quam nunc ſe aiebant auſpicari. Tantummodo faceret Academia, quod eſſet ſuarum partium, ipſorum beneuolentiam neq; publicis neq; priuati cuiuſquam cauſis ulla ex parte defuturam pollicebatur.

Finitis his ad Collegium Regis ab omnibus ordinibus deducuntur: ubi decantatur miſſa de ſpiritu Sancto, magna celebritate: nihil ei negocio defuit, quod ad ornatum facere poſſet. Hoc loco animaduerſum eſt à nonnullis, Nicolaum Ormanetum (Datarium uulgo appellabant) qui licet dignitate à Ceſtrenſi, qui Epiſcopus erat, uinceretur, authoritate tamen reliquos ſuperabat, dum miſſa celebraretur, nunc ſtando, nunc ſedendo, quandoq; procumbendo in genua, ceremonias quaſdam obſeruaſſe, quæ po-

Miſſa ad Collegium Regiū decantatur.

ſtea ab omnibus reciperentur: in quib. tũ ille ſuo exemplo cæteris præibat. Sed de his infra cum erit opportunum, pluribus dicemus. Ab hoc loco ad Eccleſiam Diuę uirginis, quam anteà ſacris interdictam eſſe demonſtrauimus, unà cum Dominis Legatis omnes proficiſcũtur: vbi licet propter prophanatũ locũ, celebrari miſſa non potuit, tamen ſermo habebatur ad Populum, pro concione dicit Pecokus, ſermone Latino. Quo finito Procancellarius, unà cum Præfectis Collegiorum, unuſquiſq; ſuo ordine, de nomine citatur.

Concio Pecoki in eccleſia D. uirginis.

Citati Præfecti collegiorũ.

Roberti Breſſei exceptio.

Ibi tum Robertus Breſſeius, prudentia & canitie conſpicuus ſenex, Prępoſitus Collegij Regij, recitato poſt Procancellarium eius nomine, adeſſe ſe quidem ſicut cæteri dixit, uerum quoniam illius domus caſtigatio omnis, cognitioni Lincolnenſis Epiſcopi, non Principis ſolum, ſed reſcripto etiam ipſius Pontificis reſeruata eſſet, graui mulcta impoſita, ſi alienos reciperet: ſe quidem pro officio ſuo proteſtari, niſi eorum mandatum, iuriſdictionem in Collegium illud

lud, aut teſtatis uerbis, aut ſenſu perſpi- cuo illis daret, non adeſſe ſe reſpondit. Hanc illius exceptionem indignísſimè omnes tulerunt, ſe quidem plenam eius rei procurandę poteſtatem habere à Car dinale, cuius cognitione, neq; perſona cuiuſquam, neq; locus eſſet ullus exem- ptus. Itaq; malè illum feciſſe, quòd eorũ authoritatem tam omnibus notam uo- caret in quęſtionem. Ceſtrenſis uiſus eſt cæteris eſſe cõmotior. Id erat, quoniam Breſſeius præpoſituræ illius dignitatem, inuito illo, & omnibus modis contra ni- tente, paulo antè obtinuerat. Accenſitis demum præfectis, digreſſi ad aliquod tempus, quiſq; domum ſuam petit: iuſſi adeſſe in publicis Academiæ ſcholis ad primam eius diei horam. Huc ubi ordi- nes Academiæ conueniſſent (uulgo Re- gentes et non Regentes dicuntur) quod reliquũ erat eius diei, perlegendis reſcri- ptis principũ, indulgentijs Pontificũ diſ- quirendis, cæteriſq; Academię perueſtigã dis monumentis, ibidem tranſigunt.

Ceſtrenſis cur iratus Breſſeio.

Die ſequẽti, qui erat Ianuarij dies duo decimus, conueniunt ad Collegium Re-

gium, inquirendi causa. Quod uel reliquis prępositum est, propter dignitatem loci: uel, quoniam illa domus prę omnibus, alijs, ex longa iam ante memoria non carere uno aut altero hęretico (ut appellabant) iudicata sit. Ad præsens autem, quamuis plurimi iam pridem seipsos indè subduxerant, paucos tamen superesse existimabant. Modum quo uellent excipi, singulis Collegijs, cum fieret inquisitio, ipsi antea præscripserant. Is autem erat eiusmodi. Præfectum cuiusque domus, & eius reliquos omnes tam socios quàm scholares, uestibus Ecclesiasticis indutos (capas nuncupant uulgo) ad exteriorem domus ianuam, quæ esset uersus oppidum, illis occurrere præcipiunt: ipsum Præfectum ornari illo habitu, quo uestiuntur qui Missam celebrant, nisi quod superius capam indueret, ut reliqui. Ordinem progrediendi hunc esse iubebant: præcedere præfectum, reliquos sequi suo quemque loco, proximè ad præfectum eos, qui ordine & tempore præcesserunt, & grandiores essent cæteris, huic præferri crucem & aquam

Modus quo excipiebantur Inquisitores.

aquam lustralem, qua uellent aspergi. In ipso autem occursu, demurmuratis preculis quibusdam, cum ista pompa ad sacellum se deduci instituerunt. Nonnullis uidebantur plus sibi honoris sumere, quàm pro hominum conditione cõueniret: alij uerò, quoniam nunc non Cardinalis modo iurisdictionem uendicabant, sed ipsius etiam Pontificis dictionem potestatem'q; prætexerent, qui plùs esse quàm homo putabatur, multis partibus esse minus acclamabant, quàm eius sanctitas postularet: pertinere autem ad ipsius dignitatem, quicquid Legatis suis impenderetur honoris.

Legati Papam præsentabant.

Iam aderat hora qua decreuerant uenire, & cum in ipsis essent Collegij foribus constituti, ubi Præpositum cum reliquis expectabant, & à nemine esset illis occursum, progressi indè ad templi ostium, subsistunt paululum: ibi cum Prępositum & cęteros sese, quantum possent, cernerent ornantes eo modo, quo ab illis anteà diximus fuisse pręscriptum, superueniunt cum adhuc illi loco non mouissent. Ibi tum Prępositus excusare primum

mum se, quòd paratior non esset agnoscere cumprimis hoc illius officij fuisse, deindè ualdè sibi placere eorum aduentum: & primum quidem pro seipso, deinde nomine quoque reliquorum, summam in hís quæ communem utilitatem spectarét, qualia demum ab ipsis se dixit expectare, obseruantiam polliceri. Cæterum quòd in Ecclesia Diuæ uirginis superiori die fecisset, eandem quoque exceptionem nunc illis opponere, quod ne grauius ferre uellent uehementer orare.

Robertus Brefceus iterum exceptionem opponit.

Se quidem, quum pro officij sui ratione hoc faceret, multò iustiorem causam habere qua debeat excusari. Non dum perorauerat, cum statim Cestrensis contracta fronte, uultuque irato admodum, loquentis adhuc uocem intercipit; nec esse illi opus dicit repetere, quæ esset antè protestatus, nec ipsis ad ea iterum respondere, quibus abunde satisfecissent. Vehemẽter se uereri, ne eorum causa nimís bona sít, ita ipsos tergiuersari, ita quærere suffugia. Nimirum sic fieri plærunque ab ægrotis, qui grauiora medicamenta, propter doloris sensum, diffugerẽt. Qua

Cestrensis respondit.

si ue-

si uero à quocunque tandem concessa immunitas tanta sit, ut Pontificię authoritati posset obsistere? Quin etiam ipsa Pontificis rescripta pro se quidem et suis facere: contra se uero minimè posse opponi. Itaque monere ut discedat ab ista inutili disceptatione, & se suosque ad id quod agebatur, componeret.

Post hęc itur ad Missam, qua magna olennitate peracta, primũ quidem templi altare adeunt, ibique salutato suo Deo, quęsitoque an omnia essent circa eum salua, mox omnes templi interiores domos perambulant. Bona ecclesiastica, cruces, calices, libros missatiles, quidquid esset uestium, quidquid ornamentorum sibi exhiberi postulãt. Perlustratis omnibus, uocatisque singulis eius domus & socijs & scholaribus de nomine, ad hospitium Præpositi cõtendunt: ubi ipsum primò Præpositum, mox cęteros suo quemque ordine (delato primum iureiurando, ut ad postulata respondeant de scientia) examinant. Sed hoc sacramentum quidam recusarunt admittere, tum quoniam Collegio primam fidem dederant, tum etiam

am quoniam iniquissimum esse iudicarent, contra seipsos iurare. Esse hoc quidem contra publicas leges, cogi quemquam seipsum prodere: uix recipi fidem cuiusque ad se defendendum, cum perspicua argumenta deessent, multo esse iniustius, uim afferri alicui seipsum uti accuset. Sed & hi, post multam altercationē, tandem cum conditione salue fidei prius Collegio prestite, admittuntur ad iurandum. Tridui fuit ibi facta inquisitio.

Consultatio Præfectorum de Buceri exhumatione.

Iam hic tertius erat dies ab eorum aduentu, & Buceri Fagijque causa uisa est nūc longius differri: plurima enim futura erat illis actio super ea re. Et quoniam presens cause status explicationem consilij requireret, conueniunt Procancellarius & prefecti Collegiorū ad publicas Academiæ scholas: ubi quid tandē uideretur oportunum fieri, singuli sententiam dicūt. Post multam consultationem, ab omnibus itum est in hanc sententiam. Vt quandoquidem Martinus Bucerus, dum adhuc uiueret, non solum perniciosam erroneamque doctrinam inter ipsos sparsisset, sed fuisset etiam sectarius, primique nominis hæreti-

hęreticus, errasset ipse ab Ecclesia Catholica, dedissetq; alijs occasioné ab eadem deficiendi: D. Legatis, publico Academię nomine, supplicatio fieret, ut demortuũ iam antea illius corpus, primo quoque tempore exhumaretur: id esse necessarium dicebant, ut de doctrina posset cognosci: quæ quidem subiecta quęstioni, si minus sana deprehenderetur, ex ipsa lege fieret contra eum processus. Esse contra regulam sacrorũ Canonum, eius corpus Ecclesiasticæ sepulturæ tradi, immo uerò etiam pertinere ad apertam honoris Diuini contumeliam, sacrarumq; legum uiolationem, coniunctũ esse cum nonnullo animarum etiam periculo, & offensione fidelium, hoc præsertim tam difficili & exulcerato tempore: nec uerò esse ferendum, ut quibus nihil ex moribus, nihil ex legibus cõmune esset cum cæteris, sepulturæ religione participarẽt. Itaq; uindicandam esse cumprimis Dei gloriam, infamiam contractam ex hoc facto, quàm celerrime ab ipsis depellendam. His nihil relinquendum loci esse, in quo ipsis etiam fieret elementis

iniuria: expiandum locum, et cõcedendum hoc quicquid esset conscientijs infirmorum. In hoc nunc tam insigne documentum dandum esse mortalibus, ut ne deinceps aliquis aliquando simile quicquam audeat. Idipsum de communi singulorum consilio cum Fagio quoque decernunt faciendum.

Andreas Pernus Procurator Academiæ institutus ad causam exhumationis Buceri & Fagij.

Huic scripto mandatum attexunt, quo Andreas Pernus Procancellarius cum legittima authoritate publicus Academiæ procurator designatur. Erat is ei negotio maximè idoneus, uel propter magistratum, quem eo tempore gerebat, uel quoniam ipsius Christophersoni testimonio è reliquis omnibus maximè Catholicus censebatur. Supplicationem istam confirmatam suffragijs ordinum Academiæ, & obsignatam sigillo publico, die sequenti, qui erat tertius decimus Ianuarij, Procancellarius Legatis porrigit. Facetè obducta causa subornatur iste qui hoc ab illis precibus contendat, Nimirum nisi ita fecisset, non erant utiq; facturi. Sed fucus hic statim deprehenditur, Fuit illi actionis huius formula iam antea

Christophersoni uox de Perno.

Supplicatio Academiæ Legatis porrecta.

antea ab ipsis Legatis descripta. Sed fortè cogitabant facti illius inuidiam isto modo ab ipsis depellere. Venit ad Legatos Procancellarius, sicut die superiore conuenerat, ad horam septimam antemeridianam, & iam uix dum aduentus sui causam exposuerat, cum non solum postulata impetrat, sed hoc ipso quoque tempore sententiam de utriusq; & condemnatione, & exhumatione iam ante ab ipso Ormaneto Datario pulchrè descriptam accipit. Hæc sententijs ordinum Academiæ cõprobanda erat. Conuentus itaque ad hanc rem indicitur in horam nonam.

Sententia condemnationis a Datario scripta.

Coactis ordinibus, postulatà proponuntur de condemnandis Bucero & Fagio: causę afferuntur in medium eæ, quas paulò supra ab ipsis diximns præfectis in sua consultatione die superiore adductas. Itaq; ineunt suffragia ordines, dictis sententijs placere illis renunciatur. Perlecta tum condemnationis sententia, iterum rogatio fit, ut sigillo publico obsignari possit sententia. Id quod summa sanè facilitate obtinetur. Neq; erat pro-

S fecto

fecto mirum: iam enim ex quo Edoardo Rege mortuo ad sororem eius Mariam imperium deuolutum est, profligatis illis, qui Pontificiam religionem proiecerant, in quib. propè solis residebat quidquid erat in reliqua Academia aut ingenij, aut eruditionis, tanta hominum fex eorum loco surrogata est, ut indoctorum sacrificulorum iam omnia plena esse inciperēt: quibus nihil fuit antiquius, quā nomen Buceri per ora hominum quocunq; modo traducere. Supererant etiam adhuc nōnulli, qui postulatis eorum contradicerent (sed hi quoniam: ut sæpe fit pars maior meliorem uicerat) proficere nihil poterant. Est enim hoc positum in more in illis rogationibus, ut quod à pluribus decretum est, id nomine singulorum publicetur: & quod maior pars repudiauerit, id perindè uideri, quasi à nemine fuisset comprobatum.

Sententiæ commune Sigillum Academiæ affigitur.

Die sequente Baconus aulæ Gonuilli præfectus, Procancellarium, Iungum et Harueyum Doctores, Svynbornum et Maptidum, &c. domum ad se inuitat prandendi causa. Hi statim à prandio instrumen-

ſtrumento illi condemnationis, cui præterito die aſſenſi eſſent ordines, Academiæ ſigillum publicum curant affigi. Idemq́ non ita multo poſt ad ipſos Legatos domi ſuę deferunt. Quod illi cum accepiſſent, quoniam diligentius perſpicientibus ex omni parte minimè uiſum eſt placere, quædam ex eo eradunt, alia de nouo intertexunt, permutant nonnulla, ex integro toto conſcribendo nòuum exudant laborem.

Sententia iterum deſcribitur de nouò correcta.

Ad hoc ferè tempus, è Collegio Regio quidam ex his, qui tum fortè aderát, cum templi ornamenta, & cætera quę in ſuis ſacris utuntur facrificuli, Legati perluſtrarent, audiſſetq́ Ormanetum oleum illud quo inungere ſuos infirmos ſolent, iubere exhiberi, quod ut uerosimile erat, non antè ille uidiſſet, poſt eorum diſceſſum cupidus iſta cernere, accedit ad locum, templi cuſtodia tenebatur: percontatur ubi ſit, cum inſpexiſſet ubinam eſſet illud ſpiſſum lac, quo unà cum oleo utebantur, poſtulat ubi eſſet exhibitum, & propius conſideraſſet, propter odorem auerſus, cogi illud Lac in caſe-

um iubet, quod nisi facerét, fore breui fœtore suo molestissimum. Cæterum huius dicti paulo post grauissimam mulctam subiuit: nusquam enim deerat Doegus aliquis Idumæus, qui ista ad Saulem deferret: habebant enim ubiq; suos emissarios, qui passim obrepebant hominum cœtibus.

Exequiæ in Collegio Regio, & ibi quid actum sit.

Nondum erat expiatum templum D. Virginis, neq; locus purgatus ab ossibus & emortuo cadauere M. Buceri. Quare exequiæ & iusta illa anniuersaria, quę R. Redo militi ex more impendi solebant, ad Collegium Regium indicuntur. Ibi cum adessent Legati, Cestrensis nōdum persolutis sacris indè exiens, euocat ad se quendam ex his qui aderant, quem huiusmodi sermone, statim ubi uenisset, adoritur. Non est, inquit, tibi ignotum, non longè nunc abesse eum diem, quo Buceri cadauer iuxta legis præscriptum exhumandum sit, & quod de illo adhuc superest, ut sit omnibus insigne documentum, flammis (sic enim postulare sacros Canones) committendum, & memoria ex omni posteritate condemnanda

da. Qoniam autem superior illius pompa funebris magna celebritate decorata est, nobis uidetur necessarium, ut hæc illius exustio non minori solennitate & apparatu celebretur. Hoc nos in primis cogitamus, hoc ad omnes ordines pertinet: turpe est enim & non ferendum, tantum officij præstitum esse hæreticis: itaq; interest singulorum mutatæ uoluntatis suæ indicia omnibus modis ostendere. Neq; uero (inquit) mirum debet uideri, si in mortem quoq; ista inquisitio extendatur: nam si in criminibus maiestatis licet memoriam accusare defuncti, non immerito & hi debent ipsis reis perduellionis nocentiores subire tale iudicium. Cum sepelirentur, inquit, habitæ sunt publicæ orationes ad Ordines Academiæ, pro cócione dictum est ad plebem. Simile quiddam nos hoc tempore cum exurentur, cogitamus. Te autem, cuius in dicendo facultatem intelligo, maximè uolui ad hanc rem deligere, quam cum laudi tibi sit futura, scio non inuitè subiturum: quòd me quidem attinet, eo te libentius (inquit) ad hoc negocium

euocaui, quoniam cupio tibi illo benè consulere. Vnus est in tota Academia, cuius, cum adhuc esset iuuenis, tutelam gerebam, Nic. Carrus, hunc, quoniam illi hoc nomine faueo, tibi in ista causa socium adiungam, ut uel ex eo intelligas honoris causa tibi hoc negotium esse delatum.

Huic ille, cum haberet hanc eius orationem ualdè suspectam, ad hunc modũ respondit: optare quidem melioribus huic causę reseruari ista de se iudicia, nec illi hunc honoré iucundũ esse, neq; orationem eius fidem habituram, neq; præterea inuenire se posse, quod contra tantum uirum, præsertim in istam sententiam, cum probabilitate posset dicere. Vitam quidem hominis non nosse, quantum autem aliorum sermone posset intelligere, fuisse eiusmodi morum uitæq; illius institutionem, ut nè inimicis quidem reprehendi occasionem præbuerit. De doctrina uerò, non esse facultatis suæ iudicare: utcumq; putaretur deprauatæ religionis, de qua ille sententiam ferrè non posset, cum inter tam eruditos ho-

mines quęstio esset, esse tamen hoc in cō fesso, Bucetum singulari quadam scientiæ & ingenij dexteritate fuisse: quam, esset nō ferendę impudentiæ, conari imminuere. In summa, restare ad æstimationem tantæ causæ magis idoneos adhiberi defensores. Se quidem, neq; ætate satis grauem, neq; ingenio promptum, neq; facultate satis instructum ad hanc causam esse. Si quis usus illius esse posset, nihilo minorem rebus alijs posse capi.

Instat ille acrius: & cum nihil hoc genere sermonis proficeret, in iram uersus, prodit tandē se suaq; consilia. Non enim hoc ille percipuū agebat, ut in Bucerum aliquid diceretur (quanquā & illud quoque ex occasione fieri cupiebat) sed ut ij, quos de religione suspectos habebat, cōtra seipsos dicerent. Itaq; addit, tu inquiens, in illius funere eius laudes epitaphijs et actoamatis mirificè extulisti, quapropter nunc quoq; uelis nolis, tibi in contrariam partem dicendum erit, idq; se et collegas suos dixit imperare. Post multa respondit alter, de suo nihil extare huiusmodi, quod si posset in medium adduci,

ſatis factum eorum uoluntati, ſi non poſſet, nullo modo uelle ſe adduci, ut cõtra eum diceret. Tandem cum non poſſent oſtendi illius ſcripta, Ceſtrenſis ab incepto deſiſtit.

Iam iterum exſcripta erat condemnationis ſententia, ad quam denuo obſignandam, ordines Academiæ ad quintũ decimum Ianuarij diem conuocantur. Qua perlecta rogatio promulgatur de affigendo ſigillo, ſicut antea diximus fuiſſe factum, quę et ſtatim obtenta eſt. Poſt hęc dimittũtur inde ordines, iuſſi primo quoq; tempore in æde Diuæ uirginis adeſſe: quo & Legati ipſi ſe conferunt. His, ubi conſediſſent, Harueyus LL. Doctor mandatum, quod erat de inquiſitione ſuper hæreſi facienda, tum primum à Cardinali tranſmiſſum, coram multitudine repreſentat. Quod Vincẽtius de Noalli, qui erat Ormaneto à commẽtarijs, clara uoce legit, ut ab omnibus poſſit exaudiri. Hoc facto, Andręas Pernus, quem ſupra Academiæ procuratorem inſtitutum fuiſſe demonſtrauimus, ſententiam condemnationis publico nomine illis exhibuit:

Harueyus mandatum, Cardinalis repreſentat Legatis.

buit: qua perlecta publicè rogat, uti denuntiare per literas suas uellent, adesse Bucerum & Fagium, uel si qui ipsorum causas agere uellent, & sese in tertium ab indè diem iudicio sistere: ut postquam sui copiam fecissent, quid de ipsis præscripto legis fieri oporteret, melius posset decerni. Hanc sententiam de communi ordinum consilio, se quidem iam antè in publico cõuentu, prout iuris ratio postulat, pronunciasse affirmabat. Annuerunt eius postulatis legati: & die sequenti edictum, de in ius uocando, promulgatur: hoc publicus eorum preco, Vincentius de Noalli, recitatũ prius coram certis testibus designatis illi negotio, locis opportunis, uidelicet ad ianuam templi Diuæ uirginis, ad ualuas publicarum scholarũ, & ad crucem, quæ in medio oppidi illius foro erecta est, affigi curat. In hoc edicitur, ut qui Bucerum & Fagium tueri et defendere, qui eorum doctrinæ patrocinari uellent, ij se ad decimum octauum diem eius mensis in ecclesia D. Virginis, quæ erat iudicij sedes futura, coram Dominis legatis sisterent: fore enim ut ibi

Pernus postulat ut Bucerus & Fagius uocentur in iudicium.

Citatio prima.

quantum satis esset, quisq; audiretur. Mul tis uerbis edictū hoc proponitur. Iam res ad iudiciū festinabat: itaq; postridie eius diei, qui erat decimusseptimus dies Ianu atij, Procācellarius accersit ad se, ad domū Diui Petri cui ipse prę erat, Iungū, Segisuycum Doctores, & cum his Bollocū, Taylerum, Percarum, & Redmanum, (non eos quidem qui in funere ipsius Buceri honorificè de illo prędicauerunt, sed longè dissimiles uiros) Vuhitlocum, Mitchum, & paucos alios: hi consilia communicant de testimonio dicendo aduersus Bucerū & Fagium, quo hęreseos con uinci possent. Quoniam enim iudicio contendebatur, & fieri poterat, ut rei defensores haberent, testibus, qui de doctri na deponerent, opus esse existimabant. Quid ista cōsultatio tandem pepererit, non satis constabat.

Testes iurati aduersus Bucerum, & Fagium.

Habebant Domini Legati, (ut erant in omnibus æquissimi) impendiorum, quæ cuiusque Collegij forent, ubi fieret inquisitio summam rationem. Quare, nè aut supra modum, aut ultra uires suas cuiusquam liberalitas extenderetur,

Inquisitorum solicitudo pro expensis Collegiorum.

edixe=

edixerant iam in initio, ne alicubi illis plus quam tria cibariorum genera in suis refectionibus pararentur. Non absimilem modum Cardinalis ipse, in Synodo quadam prouinciali, toti Ecclesiasticorum ordini in suis conuiuijs paulo antè indixerat. Vbi igitur ad Reginenses inquirēdi causa decimo octauo die uenissent, & ultrà præscriptam formā unicus capus apponeretur eis in mensa, eū cum magno stomacho reiecerunt. Homines frugi, qui unius capi apparatu tantoperè cōmoti sunt: penè mēstruo tantū spacio prĕter has priuatas refectiones, de publicis Collegiorū pecunijs plus minus centum libras quotidiano uictu obligurierunt. Vt merito posset Academia detorquere in illos Væ illud Seruatoris, qui culicem quidem excolatis, Camelum uero integrum deglutitis. Math. xxiij.

Hoc ipso die Procancellarius Legatos adiens, erant apud Reginenses uti diximus, commonefacit eum esse diem illum, quo eos qui Bucerum & Fagium iudicio defendere uellent, in æde Diuæ Virginis adesse iusserant, per literas suas

die sexto decimo publicatas. Rogat igitur ut sui copiam faciāt, si fortè quisquam experiri iudicio uellet. Huic illi facilè assentiuntur. Itaq; cum eò Procancellarius pro officij ratione illos deduxisset, Edictum monitorium, quod ab eisdem paulo antè acceperat, promulgandum illis exhibet: quidquid eius ratio postularet, se dicens diligētér esse exequutum. Considentibus hic illis, cum pro reis prodiret nemo in iudicium, Iudices seorsum euocant Iungum, & Segisuycum Doctores, item Bullocū, Taylerum, Maptydum, Hunterū, Percatum, Redmanum, quos paulo antè nominauimus, Brovvnum, Gogmanum, Ruddum, Iohansonum, Mitchum, Rauenum, & Carrū, eum ipsum, qui funus Buceri anteà ad ornatissimum uirum D. Ioa. Checum militem, cum ipsius Buceri singulari quadam commendatione descriptum emiserat. Hi fide prius iureiurando data, testimonium contra hæreses & doctrinam Buceri & Fagij dicere iubentur. Sic iuratis dies illis statuitur ad redeundum uicesimus secundus.

Testes alij iurati contra Bucerum & Fagium.

Interim

Interim Ormanetus, et Vvuatsonus domi in suo hospitio subsistunt, ad excipiendum eorum testimonia, quos paulò antè ad Collegium D. Petri conuocatos, cum Procancellario de eodem negotio consilia sua communicauisse, supra ostendimus: qui quidem quid deposuerint, diximus etiam non constare. Cestrensis & Colus hoc die Catharinenses inuisunt, ubi nihil actum esse comperimus, quod operę precium esset commemorari.

Sedentem ad Collegium Trinitatis Ormanetum, Ioannes Dalus Reginensis adit, iussus antea ab illo Pixidem, qua impanatus Pontificis Deus includi solet, secum adducere: habere enim se dixit Ormanetus, thesaurum quendam (linteus is erat panniculus, quem Pontifex ipse suis manibus sacrum fecerat) hoc se dono ipsis daturum pollicetur. Dalus autem male intellecto Ormaneto, pro pixide, calicem & azimum panem, (hostiam uocant) quem sinu suo inuolutum secum adduxit, eò fert. Vbi uenisset salutat hominem benignè Ormanetus: ecquid tulisset quæ ille imperauerat, rogat: cui

Reliquiæ dono datæ Collegio Reginensi a Datario.

cui cum tulisse respōderet, proferri iubet. Profert ille calicē et panem. Hęc cum uideret Ormanetus, refugere paululū admirabundus cœpit, stupidū appellans, et insanienti nō admodum dissimilem: quid ista uellent percontatur, se nihil horum postulasse, planè indignum esse qui tanto munere frueretur. Cæterum quoniam daturū se iam anteà promiserat, præstiturum etiam ne fides desideretur: itaq; productum linteum in calice, & panem simul, cum multa ceremonia deponit, iubens et propter rei sanctitatē, & uerò etiā propter authorē, pro ut decebat, apud ipsos cum debita ueneratione asseruari.

Mandatum Inquisitorum de exhibendis suspectis libris.

Sub hoc ferè tempore Legati præfectis Collegiorum mandarunt, ut suos quisque quantum haberet librorum, unà cum authoris nomine, describi faceret. Vnumquemq; autem, quo maiori fide res ageretur, sacramento astringi iubebant. Impios enim illos libros nefandorum hęreticorum aduersus uenerabilem Orthodoxorum sectam, decretaq; sanctissimorū Canonū scriptos, habere aut legere, aut describere, nemini esse licitū.

Itaq;

Itaq; curarent diligenti studio requiri, ut publicè comburi possent: monere se quidem hæc, quod minimè opportebat: poni enim ista potius quã excuti debere dicebant: hoc nõ Canones solum iubere, sed augustissimos etiam Imperatores, Theodosium & Valentinianum alicubi de scriptis Hæreticorum, speciatim de libris Nestorij decreuisse. Hoc mandatum alij exactissima diligẽtia, alij quoniã iniquũ iudicarũt, remissè satis exequuti sunt.

Diem decimũ octauum iudicij diem fuisse supra posuimus. Eo autem die cum neq; rei se iudicio sisterent, neq; defensores haberent, sententiam tamẽ dicere Legati noluerunt, quod quidẽ propter contumaciam absentiũ potuerũt tamẽ: cum esset perẽptorius is dies, sed homines ad æquitatẽ et clementiam propensissimi, maluerunt gratię aliquid dare, quã seueri us uti suo iure uideri. Qare edictum Vincentius iterum publicat, & eisdem locis quibus antea affigit. Eius sententia à superiori nihil uariauerat, nisi quòd iudicij diem in uicesimum sextum eius mensis reijceret: quo die de publicãda sententia, Citatio reorum secunda.

cum

cum Procancellario paulo antè ad se accersito conueniunt. Quem quo nihil celebritatis huic negotio deesset, monere iubet oppidi Prætorem, ut cum omnibus suis ordinibus adesse ad eum diem uellet, quod & diligenter Procancellarius fecit.

Inquisitio apud Aulam Clarensem.

Dum hæc fierent de Bucero & Fagio, non destiterunt interim alicubi, prout res postulabat, inquisitiones fieri. Cũ igitur ad hoc ferè tempus uenirent ad Aulam Clarensem, et Sacellum ingrederentur, quod primum ubiq; facere consueuerant, animaduertunt nullum in altari Sacramentum (sic enim uocant) suspensum esse: quod cum indignè ferrent: Ormanetus accersitum Præfectum monet quantum sibi suæq; domui piaculi contraxerit hoc facto suo: utcunq; enim illi uix turpe sit, ipsis tamen nefas uideri, idque inexpiabile. Attonitus Senex cum circumspiceret quid posset responderi, uolẽs purgare culpam adauxit eandem: Locum esse prophanum dicit, quod nullis adhuc ceremonijs sacrum esset factum. Mirati illi eò magis, & num ille,

aut alius quisquam Missas ibi celebras=
set, quęrere: quibus cum &à se et ab aliis
sæpissimè esse factũ fateretur: O te mise=
rum senem, inquit Ormanetus, & te & il
los omnes in grauissimam excõmunica
tionis sententiam coniecisti. Permotus
sic in initio Ormanetus, hominem dili=
genter excutit, quot haberet Ecclesiastica
beneficia, ubi sita essent, cuius gratia aut
indulgentia plura simul occuparet, qua
excusatione tam longè illis abesset. Vide
ri enim illi eum maximam anni partem
in Academia agere, procul ab ea cura,
quam in se sumpsisset. Svynbornus sic
erat attonitus tam subita Ormaneti per=
turbatione, ut ipse factus perturbatior,
neque ad ista, neq; ad alia quæ Collegij
eius statum spectabant, uerbum unum
potuerit respondere. Quapropter Soci=
us eius domus, qui tum erat cæteris pro=
uectior, uices præfecti in eo negotio sub=
iuit.

Dies hic nunc erat uicesimus secũdus,
quem paulò supra iuratis testibus Iun=
go, Segysvico &c. deponendi sua testi=
monia diximus fuisse præstitutum. Qui

tamẽ eo die ſedentibus ad ædem D. Virginis legatis, neq; comparent, neq; publice quidquam contra reos opponunt: ſeorſum ſi quid obiecerint conſtare nõ potuit. Nam eadem fide publicare teſtimonia ſua prohibiti ſunt, qua ad teſtificandum acceſſerunt.

Teſtes ſacramento adacti de non uulgando ſuis teſtimonijs.

Seſſione iſta nihil eſt actum, niſi quod Procancellarius edictum de inius uocando, nudius tertius ab eis acceptum, reſtitueret: cuius ſententiam ſe dicebat, prout illi imperauerant, in contumaciam reorum publicaſſe: & ut quartum ab inde diem dicendæ ſententiæ condemnationis uellent ſtatuere, ab eis contenderet: quod & ſine difficultate impetrauit. Nã hoc ipſos antea ſic conueniſſe ſuprà monſtrauimus. Et tamen ſic uideri interim benigni & clementes uolebant ſaguinarij iſti carnifices, ut nihil illi antè decernerent, quàm prius iſte turpiſſimus aliorũ libidinis miniſter magnis precibus hoc ab illis poſtularet. Quaſi id nemo poſſet deprehendere fucum eſſe: aut quaſi ut animos, ſic oculos quoq; noſtros, ne quidquam cerneremus, abieciſſemus à nobis.

Dies iudicij a Legatis praeſcriptus.

Sic

Sic illi in omnibus obducta causa fidem sibi præstruebant, ut cum operęprecium esset cum magna mercede incautos deci perent. Nolebant sanè uideri id agere, quod ipsis esset in animo propositũ: itaque cęlandi occasiones undecunq; circũspiciebant: sed latere non poterant.

Circa hoc tempus proponũt edictum, ut præfectus cuiusq; Collegij, de communi suorum consilio, quantam quæq; domus haberet pecuniæ uim, quantum an nui redditus perciperet, quantum ex illo in usus necessarios ipsius Collegij, quantum in sociorum stipendia & uictum quotidianum, quantum ex quacunque causa in alias res impenderetur, quantũ etiam superesset in annos singulos, & de eo quid fieret quod residuum esset, reuocatis ad calculos omnibus quæ ad hoc negocium essent necessaria, ordine describi facerent. Quod, ne propter insolẽtiam & rei nouitatem hominum mentes in uarias cogitationes deduceret, hoc ante ipsos fecisse Collegium Etonense, fecisse hoc Collegium Vintonense, & complures alios dicebant. Se autem cu-

pere hoc cognoscere, quo fieri posset ipsis manifestum, an hi quibus esset eorum bonorum concredita administratio, fidem quam quisq; præstare debebat, integram persoluissent. Hoc præ se quidē ferebant isti tam soliciti & diligentes aliorum bonorum curatores: Verum hanc iactatam magis causam, quàm ueram esse satis cognitum est. Erat enim illud ipsis in animo Ecclesiasticorum uires inquirere: quas, quoniam in studio suarum partium qui essent de principib. huius negotij, fore non dubitabant, exploratas iam antè in omnem fortunæ euentum esse uolebant.

Neq; uerò inanem coniecturam hanc esse, aut pendere leui aliquo momento, putare quisquam debet, qui quantam armorum uim, quantum apparatus bellici congestum domi apud se, aut sub confœderatorum custodia, Ecclesiasticorum ordines quidam haberent, maximè uero Episcopi, penes quos erat eo tempore rerum summa, non ignoraret. Quæ quidem cum non alio, quàm ad uim spectarent, hoc præsertim tam exulcerato tempore,

pore, quid habet absurdi, uirium Academiæ, quæ et ipsa pro uirili sua quiduis periculi, & oneris pro obscæna illa superstitione subire parata erat, ad eundem quoque euentum fieri explorationem. Sed benigne respexit nos Deus, qui eorum secures à ceruicibus nostris depulerit. Cæterum ad Bucerũ & Fagium reuertamur.

Iam aderat iudicij dies, & Academiæ omnes ordines sese ad hoc spectaculum effuderant: aderat Prætor oppidanus cũ suis, omnes in æde Diuæ Virginis coierant, ut ibi quid tandem de his hominibus à Legatis decerneretur, possent cognoscere. Expectante multitudine prodierunt tandem Legati, & suggestum quendam, qui cęteris paululum eminebat, paratum ad hanc rem conscendunt. Vbi sedentibus illis, Pernus Procancellarius, actor fabulæ, edictum quod ultimè de in ius uocando publicatum fuisse diximus, composito ad magnam grauitatem uultu, cum his uerbis porrigit. Reproduco, inquit, uobis Reuerẽdis patribus Cõmissarijs Reuerendissimi D. Cardinalis Poli, attexuit quòd reliquum erat eius ti- Dies Iudicij.

tuli, hanc citationem executam secundū effectum eiusdem. Pro se quidem nihil prætermittens, quo istam causam facere posset commendatiorem. Quæ cum ille dixisset: assurgit continuò Cestrensis, & perlustrata paululum multitudine, ad hunc ferè modum exorditur.

Cestrensis oratio ante sententiam condemnationis.

Videtis, inquit, quàm multis uerbis Academia à nobis contendat, quàm impensis precibus postulet, ut Buceri & Fagij, qui præteritis hisce annis, apud uos pernitiosissimam doctrinam euulgauerunt, non hæreticos solum denuntiare (uti sunt quidem) uerum etiam ut eorum demortua cadauera, quæ ad huncusq; diem apud uos sepulturæ honorem obtinent, exhumari, & sicut sacris est Canonibus optimè constitutum, ignibus, aut si quid illis grauius possit esse, imponi mādare uellemus. Neq; uerò molliter hanc rem, aut per dilationes nobiscum agunt ordines Academiæ, sed ita urgent, instant, ut ne laxamentum quidem ullum nobis dent. Et quanquam sane hæc quidem causa sit eiusmodi, ut ipsa hominū illotum indignitas impetrare hoc à nobis

bis

bis debuerit, multo magis his tam saluta ribus postulatis permori, par est ut conce damus. Vtcunq; enim nos ipsi ad clemétiam animis propenderemus, qua nihil nobis neq; charius, neq; optabilius esse profitemur, lex ipsa tamen ad uindictam insurgit, ut priuatæ animorum nostrorum charitati, publica omnium uestrum salus, quam lex prospicit, præiudicare debeat. Neq; uero est committendum, ut uixdum ex naufragijs prioris culpæ cladisq; emergentes, hoc tam inexpiabile nefas animos infirmorũ diutius torquere permittamus. Tum Academiæ etiam, tàm uehementer istud à nobis contendenti, aliquid tribuere oportet. De nobis ipsis non est opus multa ut dicamus. Si cupidè ad hanc causam accessissemus, licuisset quidem post primam denuntiationem uenire ad sententiam: cæterum quoniam defendi reos uoluimus, & experiri iudicio, secundam publicauimus. Si uindictam sequeremur, licuisset etiam in uiuos sæuire: ex quibus (proh dolor) nimium sunt multi, qui hanc doctrinam complectũtur: si sanguinem spiraremus,

minimè is quidem in cadauere & exiccatis ossibus quærendus erat. Itaq; nulla nostra uoluntate, huc nunc hoc tempore accessimus, sed partim quidē precibus his Academię adducti, partim uerò indignitate causę ipsius permoti, maximè autem omnium soliciti de uestra salute, quam omnibus modis integram saluamq; asseruari cupimus. Vos enim huic rei causam dedistis, uos confessionis huius occasionem præbuistis, apud quos hodiernus dies hoc spectaculo insignis, & ad omnem posteritatem memorabilis esse debet. Quo, non excutere modo eas sordes, quas ab istis contraxistis, sed cauere etiam in posterum, ne tam turpiter prolabamini, potestis discere. Quanquā Deus prohibebit hæc, & uobis mentem dabit uti prohibeatis.

Quod illos attinet, quorum causa iudicio agitur, obducebant quidem Euangelij nomen, sed re ipsa nihil aliud moliebantur, quàm latrocinia & imposturas. Eo erant autem nocentiores, quoniam his tam turpibus factis tam pulchri & sancti nominis præsidium quærebant.

Quam-

Quamobrem minimè quidem dubitandum est, quin cōtumeliam hāc ex se quidem impiam, ex nobis perniciosam, ex authoribus infamem & abominandam sit ulturus Deus. Quod si ille (ut est tardissimus ad uindictam) conniuere ad tempus uelit, nos tamen in quibus cura Dominici gregis incumbit, impunitis his tam execrandis sceleribus, ne ad horam quidem possumus quiescere.

Condemnatio Buceri et Fagii.

Hæc ubi dixisset, sententiā de scripto recitat, nec non Bucerum & Fagiū de hęresi condemnat: cadauera effodi de sepulchris iubet, & sacris exauthoratos magistratui seculari (ipsis enim innocentibus hominibus, & remotissimis à sanguine, & occidendi studio, neminem interficere licebat) in manus tradit. Facinus indignum, quod Academia nunquam expiauerit: quem uiuum omnibus honoris insignijs decorasset, mortuum contumelijs lacerare quàm indignum erat? quem uiuum summis obsequijs, ut præceptorem & uitę optimum ducem prosequuta ueneratāq; esset, mortuum ut pessimum impostorem, & de

Academiæ ingratitudo maxima.

uia abducentem de testari, quàm minime sane ferendum, ei mortuo non parcere, qui uiuus sibi ipse, quò illis prodesse posset, & senex & ualetudinarius nunquam pepercit: quid hoc erat monstri? Nihil illi toto tempore quo decumberet affixus lecto suo magis doluit, quàm quòd tum & ipsis, & ecclesiæ Dei esset inutilis: et tamen mortuus, neque apud discipulos obsequium, neque apud Christianos sepulturam inuenit. Si humanitatis ratio hoc à nobis impetrare non potuit, ut parceremus memoriæ, aut reuereremur cineres: crudelitatem hanc tamen & immanem barbariem, ipsa natura & gentium ius, quo uocatus in Regnum fide publica uenerat, arcere ab illius ossibus debebant.

Concio habita ab Andrea Perno contra Bucerum.

Cęterum hanc Academię infamiā publicè sic contractam Andreas Pernus Procancellarius suo sermone adauxit. Is post recitatam à Scoto sententiam, pro concione ad populum dicit: Sumens sibi illud Psal. 132. Ecce quàm bonū, et quā iucundū. &c. Vbi exorsus à cōmendatione concordię et mutuę cōiunctionis animorum, cohęrere istā nullo modo posse di-

cebat,

cebat, nisi & è capite, quod Romanẽsem Pontificem esse uoluit, sumeret originem, & simul eodem quoque resideret. Vbi multis uerbis usus esset hoc loco, trãsijt tandem ad Bucerum, quem tantis contumelijs onerat, ut nullo modo eius nomen potuisset turpius traduci: dedisse illius doctrinam causam diuulsionis Reipublicæ: nec ullum fuisse tam grande malum, quod eius occasione non fuisset inuectum in hoc Regnum. Qualis uerò esset hæc doctrina, etsi omnibus constare possit ex his quæ scripta sunt ab ipso, se tamen manifestius nouisse, idque ex ipso authore seorsum didicisse aiebat. Atque hic perfidiam ipsemet suam omnibus prodidit. Nam cum haberent illi sermones inter se priuatim, optasse Bucerum aiebat sæpenumero, uti alio quouis nomine quàm quo esset uocaretur: id uerò propterea factum ab ipso esse, quasi grandis mali sibi cõscius, latere hoc pacto orbem, & sermones hominum diffugere potuisset. Addit etiam inter alia sensisse Bucerum, quod & ipsi indicauerit, DEVM non solum

Pernus quibus de rebus Bucerum accuset.

boni

boni authorem & fontem esse, sed & mali etiam: & quidquid esset eiusmodi, & ab ipso tanquam origine & factore promanare: hanc doctrinam syncetam quidem esse, se tamen propter uarias hominum offensiones quas pareret si uulgaretur, proferre ad aures hominum non fuisse ausum. Attexuit multa, in hanc sententiam, partim de primatu Pontificis Romani, de nuptijs hominum ecclesiasticorum, & de repudijs: de mordacibus item usuris, quasi is eas licere inter Christianos sentiret, & alijs permultis. In quibus cum impudentissimè de Bucero mentiretur, quod illius scripta perspicuè indicant, non tam illius nomen maledicendo læsit, quàm sibi ipse inexpiabilem infamię maculam turpissimè mètiendo de tanto homine inussit. Quanquam quid opus est testibus, ut mendacij arguatur: conscientiæ testimonium erit instar multorum? Increbuit fama, authores habuit ex illius familiaribus, illum aut statim dimissa concione, aut paulo antequam eò accederet, percusso dextra manu pectore penè cum

Pernus quid uere senserit de Bucero.

cum lachrymis, domi suæ uehementer optasse, daret illi aliquis Deus, ut eius anima iam tum cum Bucero ageret. Satis enim sciebat, fuisse huius uitam eiusmodi, ut si alterius cuiusquam, illius in primis animam cœlo dignissimam ipse iudicarit.

Dum iste ad populum sic diceret, interim ualuæ Templi uersibus oppletæ sunt, quibus ineptientes adolescentuli, qui Bucerum de facie uix norant, tamen eius nomen turpiter maledictis figunt: quidam etiam aliquantulum prouectiores, sed ipsis adolescētibus magis imprudentes, eidem quantum possunt, tanq̃ importuni canes, quibuscum bene fuisset actum si eis crura frangerentur, oblatrant. Vt autem uideri possent numerus esse, quo plurimum se iactant Romanenses, pellexerant ad hoc negotium quam plurimos, qui Bucero omnibus modis fauebant, eiusq́ nomen, prout decebat, reuerēter colebant: qui tamen, ut eorum crudelitatē hoc prætextu diffugere possent, inuitissimis animis parcè illum modiceq́ uellicabant.

Versus scripti in Bucerum & Fagium.

Peractis

Peractis his, Pernus, quasi re bene gesta à Legatis humanitatis causa ad prandium inuitatur ad Collegium Trinitatis: ubi post remotam mensam sententiam condemnationis magna celeritate describi faciunt, quam, affixo ei sigillo Cestrensis Episc. Londinum die sequenti, unà cum nonnullis ex illis uersibus & famosis libellis (sic enim uocare licet) transmittunt. His addunt literas suas, quibus & quousque progressi essent in isto negotio Cardinalem docent, & simul petunt, ut mandatū quod ex lege erat (uulgo appellant Breue de comburendo hæretico) ad Smythum prætorem oppidanum curaret quàm primum mitti. Nisi enim prius literis illis regijs esset illi cautum de indemnitate, facere nihil uolebat. Quod autem nunc erat reliquum faciendum, donec mādatum illud uenisset, perfici non poterat. Dum nuntius hic erat in itinere, libros quos antè iusserunt perquiri, duci ad se imperant, nam illos unà cum Bucero & Fagio in ignem mittere decreuerunt.

Sententia condemnationis missa Londinū cum literis Legatorum.

Breue de comburendo Hæretico.

Et ad

Et ad hoc tempus, Vvatsonus, nactus occasionem ex eo quod dies esset solennis, quo purificatæ Virginis memoriam celebrare consueuerant, pro concione ad populum dicit, de illo Psal. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. In qua Bucerum & Fagium, eorum'que doctrinam multis contumelijs aspergit. Istos dicit, & qui cum his sentirent omnes temporum nostrorum hæreticos, quos ex Germania ferè omnes pullulasse dixit, inter cætera quæ perniciosè in hominum mentes infunderét, de projiciendis Cæremonijs contentiosissimè docere: cum tamen & Apostolus ipse iuberet omnia ordine fieri, & ex illo D. Virginis & Iosephi, quod hoc die ab ipsis factum est, satis constaret ipsos cum infantulo Seruatore obseruasse hos ritus, & cæremonias, quas Catholici homines docerent. Ipsos enim eo tempore, cum accensis cereolis, procesionaliter (ut uocant) cum magno decore ordineque ad templum accessisse. Nos tamen ista omnia cum illis hæreticis & sectarijs turpiter deridere. Hoc cum ille de Vatsoni concio die Purificationis D. Virginis.

Christo,

Christo, Maria & Iosepho diceret, quidam ex his qui audierant, facetus homo & lepidus, uersus ad eum qui illi astabat, & hoc si uerum sit (inquit) quod hic nūc prædicat, quis horum quæso te crucem reliquis prætulit? Nam is abesse non potuit istis cæremonijs. Neq; uero iste solum hominis stultitiam sic risit, sed et alij quam plurimi manifestam illius impudentiam, in deprędicandis his tam uanis et ineptis superstitionibus, illuserunt.

Christophersoni subita ægritudo.

Dum ille sic alloquitur populum, Ioannes Christophersonus Cistrensis electus, qui unà cum reliquis aderat, subita ægritudine correptus, inter turbam semimortuus prolabitur: uixq; post aliquantum temporis ad se reuocatus, interim multa temerè & insanienti non dissimilis, balbutiebat. Hoc alij indè esse rati sunt, quod ob malè administrata Collegij bona, apud cæteros Legatos grauiter delatus, indignissimè ferret se ab illis corripi: quos ex eo sibi infensos esse cognouit, quoniā Ormanetus scriptum quoddam illius, quo prædium eius Collegij leuiro suo locauerat, cuius, conditiones

iniquiores uisę sunt, corã illo discerpserat.
Redierat circa hoc tempus nuntius, quẽ supra diximus cũ literis legatorũ paucis ante diebus Londinũ missum esse: & mãdatum de exurendis his hominibus secũ adduxerat. Quo accepto diem sextũ Februarij perficiendo negotio statuerunt: iam enim longo tempore res inter manus hæserat. Hic igitur dies ubi uenisset, Procancellarius à legatis accersitur: quæritur ab illo, quo loco res essent, ecquid omnia ad hoc negotium essent parata? Cum esse ab illo intelligerent, iubent ad exitum rem deduci. Ille igitur accepto secũ Marshallo notario publico rectà pergit ad templum D. Michaëlis, ubi Paulum Fagium sepultũ fuisse diximus. Hic euocatos Andream Smythũ, Henricum Savverum, & Henricum Adamum, parochianos, iureiurando astringit de effodiendis Fagij ossibus, & deducendis ad supplicij locum: sacramenta Marshallus excipit. Idem quoq; Rogero Smytho & Gulielmo Hasello pretorianis, & Ioanni Cappero æditúo eius ecclesiæ, eadem fide de Bucero faciendũ imperauit. Smythus

Exhumatio & ustio D. Buceri & Fagij.

thus Pretor oppidanus, qui futurus erat eorum Lictor (nam ipsis in causam sanguinis sese intromittere nō licebat) imperauerat quibusdam ex suis adesse cum armis, quibus stipata cadauera, circumligatis funibus, hominumq́ humeris imposita (erāt enim inclusa tabulatis Bucerus quibus sepultus erat, & Fagius, nouis) in medium oppidi forum cum magno comitatu deportantur.

Vbi usti Bucerus & Fagius.

Locus hic iam antè erat paratus, ubi et truncus magno pondere in terram defixus extabat, cui cadauera ligarentur, & cōportata magna ligni strues, qua possent comburi. Huc ubi uenissent, eriguntur tabulata inclusis cadaueribus, & hinc atque inde ex utraque parte defixa sudis, perinde ac si tum uixissent, circumducta longa catena ex ferro, posti alligantur, ibi'que apposito statim igne, quum flamma se diffudisset, librorum, quos unà condemnauerant, magnus numerus in eam coniectus est. Conuenerat hoc die in oppidum multitudo rusticorum, (erat enim dies commer-

cijs

tijs publicis emendis uendendísque re- bus consuetus) hi cum quosdam ad sup- plicium duci cernerent, & percontan- do iam antè mortuos fuisse cognosce- rent, partim quidem Legatorum crude- litatem & sæuitiam in putrida cadaue- ra detestantur, & horrent: partim uerò stultitiam rident illius apparatus. Quid enim arma? (inquiunt) quasi à non sen- tientibus sit formidanda uis: aut quid illa catena qua astringuntur? laxius com buri posse sine periculo: non enim nunc uerendum esse dicebant, ne aufugerent. Ita quisque qui ex multitudine erat, aut acrius, aut lenius, prout cuiusque fe- rebat animus, facti grauitatem culpa- bat: uix pauci eorum qui uel ipsi pa- rum sana religione erant, factum pro- babant.

Rusticorum uox de ustione Buceri & Fagii.

Interea dum hi flammis torrentur, Vvatsonus suggestum conscendit in Ec- clesia D. Virginis, & ibi doctrinam eo- rum, ut impiam & minus orthodoxam pro concione traducit. Hanc doctrinam dedisse causam omnis mali, quod in Remp. ex iam longo tépore inuectú sit.

Concio Vvatsoni in ustione horum.

V 4 Intue-

Intuemini enim inquit horum deinceps annorum uel secundas res, uel aduersas, inuenietis omnia aduerse euenisse sequẽtibus hanc fidem, fœliciter spernentibus. Quas inquit uidimus regni expilationes & rapinas, donec falsis dogmatibus religio deformabatur: Publica omnium ciuium subsidia & regni bona ad quorũdam libidines profundi turpiter, ordinẽ omnem dissolui, remitti disciplinam, sacrificijs solennibus statos dies negligi, quodq; amplius esset, loca ipsa dirui, diebus uetitis carnem & id genus aliam interdictam alimoniam passim sinè scrupulo ædi, in cõtemptum uenire sacerdotes, Missam proscindi conuicijs, sacramentis Ecclesiæ nullum deferri honorem, omnes ordines ad tantam licentiam & impunitatem propendere, ut nõ longè omnia à deflagratione & ruina abesse uiderentur. Interim nomen Euangelij sic obduci dixit, ut quasi propter ipsum dogmati fides haberetur, cum nihil ab ipso alienius, aut ad diuini uerbi contumeliam magis pertineret. Quid enim in illo sanctissimo Dominici corporis mystico sacra-

Calumniarum cumulus in Euãgelicos.

sacramento præter azymum panem in= esse docuerunt, & adhuc reliqui docent, cum Seruator ipse corpus suum hoc esse perspicuis uerbis affirmaret. Quàm peri= culosam esse doctrinam, de fatali rerum omnium & absoluta necessitate: hanc il= los tamen sic euulgauisse, ut nullum om- ninoin rebus delectú relinquerent, neq; nunc interesse, utram in parté quis quid= quam statueret, cũ secus atq; res facta es= set, decernere nequaquam posset. Hanc opinionem esse propriè eorum, qui De= um mali authorem facerent, & homines in tantam futuræ æternitatis securitatem ex hac persuasione traducerent, ut inte= rim nihil neq; ad uitã neq; ad mortem in teresset ullius, quid à quoquam in hac ui ta gereretur. Hos errores, qui ne inter Eth nicos quidem locum inuenerint, ab illis magna cõtentione defendi.

Hæc, & alia quamplurima, crimino= sè & falso coniecit in Bucerum, cuius do ctrinam sicut ab ipso est tradita, aut intel= ligere noluit, aut uoluit calumniari. Quã= quam non ignorauit quidem, quæ à Bu= cero tradebantur, quæ non alia fuerunt

Scotũ & Vvatsonum subscripsisse ante Buãgelicæ doctrinæ.

ab ijs quibus & ille antè, & Scotus etiam regnante Edoardo sexto, manuum suarum subscriptione assensi erant. Dum iste ad populum diceret, multi eorum qui antea uersus conscripserant, nouos affigunt quibus in eosdem Bucerum & Fagium, quasi ranæ palustres, conuicia turpiter eructant.

Restitutio templorum interdictorum.

Huius fabulæ hic erat actus postremus. Et tamen supererant adhuc pauca, inter quę facienda erat restitutio templorum Diuæ Virginis & Michaëlis, quę sacris interdicta esse monstrauimus. Quæ & facta est die sequenti per Cestrensem cum magna cęremonia, pro ut ius postulat. Sed Deus ille impanatus, quem Buceri cadauer inde effugauerat, nondum eò redierat: neq; uero fas illi erat, nisi cum multa celebritate prius deduceretur. Hunc toto hoc tempore quo aberat, apud Legatos in Collegio Trinitatis hospicio exceptum, ibiq; peregrinatum fuisse existimauimus. Nam illo omnes ordines die octauo Feb. conueniunt, ut hoc officij et humanitatis in reducendo eum domum illi præstarent. Inter

quos

quos Cestrensis ipse, dignus propter honorem Episcopalē, qui proximè ad eum accederet, exceptum deferebat indutus cappa, et magno holoserico pāno obuolutus, quo et ipsum quoq; idolū implicauerat. Dederat hūc Academię ad eū usum paulo antè Ormanetus Datarius. Cum iste nunc rediret, non recta ibat & uia compendiosa, qua solent alij: sed magnam oppidi partem circumiens, longo'q; itinere multas per plateas circumductio, uix tandem post horam tēplum ingreditur. Nō absimilem credo morem ab Romanis illis ueteribus obseruatum fuisse in suis Lustris, cum ad omnia puluinaria Deorum suorum fierent supplicationes. Ordo hic erat: pręibāt Magistri Regentes, qui magna uoce canebant, Salue festa dies. &c. Sequebatur proximè ad eos Cestrensis, illi circumfunduntur Ormanetus cum suis Collegis, et Pręfecti Collegiorum quisq; suis manibus oblongos cereolos ardentes præferens. Quos exiguo post interuallo subsequebantur reliqui ordines Academiæ: pone Prętor cū suis oppidanis subiuit. Antè

Processio solennis ordinū Academiæ & Oppidanorū.

omnes ibant pręcones, acclamantes his qui occurrebāt, ut se ad sacrosanctam hostiam humiliter inclinarent, si quis detrectaret, carcerem statim minabantur. Cū ista pompa deductus eorum deus, & maioribus hostijs Buceri & Fagij placatus, tandem resedit. Multis uerbis precante Scoto Cestren. uti is dies illi omnibusq; qui tum adessent fœlix faustusq; esset, & ex eo tempore, placato nunc Deo, & cæteris rebus benè constitutis, ad pacem & concordiam, maximè eam quæ esset religionis, omnes se uellent cōponere. Post hæc dies paucos, in mulctandis his, quibus uisum est, transigunt. Illis partim adimunt suffragij ius, aut mandando honores alijs, aut sumendo sibi: quibusdam interdicunt tutelæ cura, ne teneram adolescentum mollitudinem corrupta doctrina & hæresi inficerent: alios alijs modis, iniustissimè quidem nonnullos, & præter omnem æquitatem castigant.

Qu'dā ex Academia mulctati.

Postremò decreta quædam, quibus Academiam deinceps institui uolebant, publicè proponunt: in his multa de electionibus magistratuum Academiæ, &

Decreta Inquisitorum publicata.

deman-

de mandandis honoribus, de publicis prælectionibus & de disputando, de custodia, & administratione bonorum Academiæ, deq; alijs permultis rebus cauent. In primis uerò religionis causam diligenter agunt: in qua tam multi fuerunt, ut omnia partim apertis blasphemijs, partim ridicula superstitione redundarunt. Hic modum præscribunt quot quisq; Missis diebus singulis interesse, quot queq; dicere oporteret: quando intrare ad sacra, & in introitu quomodo ad altare, quomodo ad præfectum se inclinare: quid ibi facere, et quousq; quisque permanere deberet: quot & quas preculas quisq; dicere, quid & quomodo canere, & cum secretè sacrificulus sibi obmurmuraret, quid interim alij meditari, quando sedere in Missa, quando surgere, quando flectere genu, quando exclusiuè, quando inclusiuè, nihil non superstitiosissimè statuendo, facetè ludificati sunt. In his ordinati isti magistri ordinis causa edicunt, quemq; indui superpellicio non attrito, non lacero, sed mundo: neuè quis nasum illo tergeret, uehe-

menter prohibent. Atque hæc illa sunt quæ supra diximus, quosdam animaduertisse Ormanetum in templo Collegij Regij suo exemplo obseruauisse, quæ nunc publicè omnibus grauissima mulcta imposita negligẽtibus indicebantur.

Constitutis ad hunc modum rebus omnibus, cum se iam compararent ad discessum, Academia pro tantis beneficiis, quorũ memoriam uix post multos annos excidere passura erat, humanitatis aliquod officium erga illos uicissim ostẽdere cupiens, Ormanetum & Colum, (nam reliqui prêter Christophersonum, qui iam electus Episcopus præcesserat hunc ordinẽ, antea in istam dignitatẽ cooptati erant) doctoratus honore insigniuit: quẽ illi benignè se accipere significabant. Sic tandem dimittuntur homines pacifici, qui ad cõponendas lites & dissidia uenerant: qui sic quidem unumquemq; ad alterius accusationẽ extimulando, tantos in hominũ animis hiatus in suo discessu reliquerunt, ut ad hunc usq; diem non satis coierint.

Ormanetus & Colus Doctores inaugurati.

Edixerant Legati isti antequam Academia

demia discederent, describi à Præfectis singulorum Collegiorum decreta sua, quæ præter publica edicta priuatam cuiusque domus administrationem certis quibusdam formulis continebant. Hæc Svynbornus, quem diximus præesse aulæ Clarensi, interrogatus à quodam ex suis, qua re, pellibus nè an papyro uellet inscribi. Non interesse respondit, quæ nam esset illa materia: papyrum, aut si quid eo haberent minus permanens, satis cōuenire: fore enim dicebat, ut quiduis eius generis diutius multò extaret, quàm decreta illa uires haberent. Neq; fefellit hominē sua diuinatio: post enim ferè biennio benignè respiciens nos Deus, Reginam Mariam (qua Principe miserabiliter, ad perniciem Ecclesiæ Christi, abusi sunt Cardinalis & reliqui Episcopi Anglicani) ad XVII. Nouembris, Anno Domini supra M. D. LVIII. è uita euocauit.

Svynbornus de decretis Inquisitorum scribendis.

Mariæ Reginæ mors.

Historia

HISTORIA DE RESTI- TVTIONE PRAECLA- RORVM ORGANORVM DEI D. MARTINI Buceri & PAVLI Fagij temporibus restitutæ religionis in An- glia.

ANNO M. D. LX.



ARIAE DEMORTVAE succedit in Imperio ELIZABETHA soror, cui Principi similem ex longa seculorum memoria, replicatis Annalibus haud facilè inueneris, Religionem iam non modò afflictam & iussam solum uertere, sed exustam penè redactamq; in cineres, in lucem reuocauit. Quæ cum acceptis uiribus paulatim sese attolleret, fex illa Romanensium præstigiarum cœpit statim colliquescere. Iterum ergo incipit ædificari templum Domini in Anglia, cuius structuram Sanaballitę, & Tobiæ illi non solum tum impedierant, uastauerantq́;, sed & hodie (ut est astutissimus

Restituta religio sub Elizabetha regina.

mus calumniator Satan) multis modis, ne ad liquidum ueritas cernatur (quæ nisi ex professo conninentibus obscura non est) satagunt. Istius operis dum diruta instaurantur, subit memoria uenerandi Patris & præceptoris quondam nostri D. Martini Buceri, qui cum Paulo Fagio superiorum temporum tam uiolenta tempestate correpti, è statione quā in huius ædificationis muro habebant, deijciebantur. Quos Reuerendissimi in Christo patres Matthæus Parkerus, nunc Cantuariensis Archiepiscopus, totius Angliæ Primas, qui antè in funere illius honorificentissimè de eo prædicauerat, & Edmundus Grindallus Londinēsis Episcopus, qui inter cæteros qui hoc officij illi præstabant, pheretrum, quo ad sepulturam portabatur, humeris sustinuit, & reliqui Clarissimi uiri, in quibus erat Gvalterus Haddonus, Supplicum libellorum ad Serenissimam Reginam magister, qui funebrem demortuo Bucero semimortuus ipse orationem habuit, quum ad componendam religionem in Academia Cantabrigiensi, & alijs regni

Restituti Bucerus & Fagius per quos.

gni partibus, mandatum à Regia Maie-
ſtate accepiſſent, loco ſuo reponendos
eſſe ſtatuerunt.

Literæ pro reſtituendis Bucero & Fagio.

Ad hanc rem dant literas ſuas prædi-
cti Reuerendiſſimi Patres ad Procancel-
larium & ordines Academiæ: gerebat
iſtum magiſtratum hoc quoq; tempore
Andreas Pernus, qui de Buceri & Fagij
in integrum reſtitutione, ne uerbum qui
dem audire libenter ſuſtinuit. Perlectis
his literis rogatio proponitur Ordini-
bus, placeret ne illis, ut gradus & hono-
ris titulus, quæ olim Mart. Bucero & P.
Fagio publicis huius Academiæ ſuffra-
gijs adempta erant, eiſdem in integrum
reſtituerentur, & omnes actus cōtra eos
aut eorum doctrinam reſcinderētur: cui
publicè aſſenſū eſt ab ordinib. Erat hoc
ad xxij. diem Iulij, Anno Do. M.D.LX.
Hoc etſi ad reſtitutionis ius ſufficeret, ta-
men quoniam neq; pro dignitate tan-
torum hominum, neq; pro officio Aca-
demię ſatis eſſe uiſum eſt, qui hanc cau-
ſam procurabant, indicunt publicum or-
dinum cōuentum in æde D. Virginis ad
penultimum eius menſis diem. Vbi non
cum

cum ita multo ornatu & splendore (quę ueritas ambitiosè non quærit) sed cum honesto decore ad conciliandos hominum animos, de Bucero & Fagio uerba fiunt. Orationem habuit Achvvorthus publicus Academiæ Orator, cuius uerba ut ab ipso prolata sunt, ordine recésebo.

ORATIO ACHVVORTHI IN RESTITVTIONE D. MARTINI BVCERI, & Pauli Fagij.



E TANTI VIRI LAVdibus, cuius celebrandi gratia hodiernus uester cœtus atq; cócursus factus est, an de temporum à quibus nuper uindicati sumus, uitijs & calamitatibus mihi dicendum sit, an de utroq;, quoniam alterum sine altero uix cómemorari potest, ignoro. Quibus temporibus tantum doloris & cruciatus sensistis, Fratres, ut repetitis illis & ad nostram memoriam reuocatis, uereor ne nó tam iustū in nobis odium ob iniurias acceptas struere, quá uere

Dubitat unde exordium sumat.

tem

rem luctum, gemitumq́ reuocare uideretur. Vt putidum autem & ineptum reprehendi officium meum necesse est, si eum qui ante oculos uestros in laude uixit, mea oratione magis illustrari posse putarem, quàm sua uita & moribus ipse sit illustratus. Sed temporum iniuria, quę tam celebre, & omnium penè uocibus frequentatum nomen ex hominum memoria delere conata est, multum profuit, adeo ut cum in uita omnia ei ad sempiternam gloriam splēdida fuerint, tum post mortem nihil magnificētius, quàm tam magnifico apparatu & cæremonijs tanti uiri memoriam lædere uoluisse, ne id quidem effecerit quod uoluit, perfecerit autē id quod uitare studuit. Mortui enim desiderium multis attulit, famam perennem & immortalem non sustulit, sed auxit potius atq; amplificauit.

Ita fit, ut qui de rebus ad Buceri laudem post mortem eius spectantibus dicere uelit, de temporum iniurijs, ex quibus magna laudis accessio adiecta ei est, reticere non possit. Sed uitam eius ita illustrauere non modo illustrissimorum

uiro-

uirorum ſcripta Checi atq; Carri, & Clariſsimi uiri D. Haddoni uox magna cum admiratione ex hoc loco edita, cum corpus eius humationi & ſepulturæ traderetur, tum funere peracto piæ & ſanctiſsimæ conciones Reuerendiſſimi iam in Chriſto Patris Cantuarien. Archiepiſcopi, & D. Redmanni, quę ſine ſcriptis diuturnius animis noſtris propter earum dignitatem & excellentiam inhærerent, quàm pleraq; quæ ſcripta ſunt, & literarum monumentis mandata: uerumetiam omnium ordinum eodem die in funere ducendo celebritas: poſtridie uero ſingulorum qui Græcarum aut Latinarum literarum facultate prediti erant induſtria, quorum nemo fuit qui iuſtiſsimi ſui mœroris teſtes uerſus aliquot huius templi parietibus non affixerit, ut neque tum quidē quicquam officij, quod mortuis & ex hac uita excedentibus debetur, prætermiſſum ſit, uel nunc reſtare, quod ad ſanctiſsimi & celeberrimi uiri memoriam, uel ad æternitatem conſecrandam pertineat, uideatur.

Buceri uita a quibus uiris clariſs. & illuſtrata.

Vidimus tunc inſtitutis eius floren-

tem hanc Academiam, & assiduis eius quotidianisq́ cōcionibus synceræ religionis nō modo ingeneratum, sed cōfirmatum amorem: adeo, ut cum hinc repentè sublatus esset, uix quisqnā foret, qui præ dolore præsentis uitæ conditionem facilè ferre possit, quin aut hinc in aliam uitam, unà cum Bucero migrare, & mortuum ad immortalitatem sequi: aut eum omnibus iam perfunctum uitæ molestijs, iterū ad corporis uincula, è quibus excesserat, luctu, & gemitibus reuocare studeret: ne nos quasi in militiæ statione sine duce relictos desereret, ipse emeritis stipendijs dimissus decederet, & castris exutus, ad æternam animorum quietem & tranquillitatem se conferret. Itaque tum apertè omnes indicarunt, & quàm grauiter mortem eius ferrent, & quàm difficulter mortui desiderium tolerarēt, dū religionis ardor, quo eius doctrinā incēsi fuimus, uigeret, et incredibilē tanti uiri cupiditatē nobis relinqueret.

A morte Buceri religionis studium remissum.

Verum postq́ uir pius in conspectu oculisq́ uersari desijt, etiam religionis amor in flagrantissimis animis paulatim

tim deferbuit: & ut postea tulerunt mi-
sera illa quidem & nobis omnibus exi-
tiosa tempora, non modo sensim ob-
scurari cœpit, sed prorsus euanuit, & in
nihilum concidit. Iterum enim inci-
dimus in Papisticæ disciplinæ pertur-
bationem, restituti sunt ueteres Romanę
Curiæ ritus, non ornandæ, ut ipsi pu-
tabant, sed uiolandæ & contaminan-
dæ Christianæ religionis causa: mors
ante oculos posita est his, qui in perce-
pta Christiana doctrina perseuerarent:
in exilium acti, qui temporibus se accom
modare non poterant: his qui man-
serunt aut dissimulare, aut se occultare
& delitescere, aut tanquam Circæo po-
culo exhausto, non modo ab humana
natura in ferinam, sed quod longè te-
trius, & monstri similius est, à cœlesti
ac diuina in dæmonum speciem con-
uerti, ac mutari necesse erat. Atque hic
quidem fuit communis totius Angliæ
morbus.

Sed utinam illorum temporum uitia,
quę totam Rempub. occuparunt, singu-
las eius partes saltem nō attigissent: quo-

rum nulla fuit quin præter συμπαθείας, quam ex totius morbo & contagione percepit, nonnihil etiam proprij doloris & calamitatis habuerit. Atq; ut cæteras omittam, de quibus neq; hic est ad dicendum constitutus locus, nec tempus patitur, ut aliqua dici possint, hoc musarum domicilium, quod Academiam nominamus, satis locuples testis esse potest, quid de reliquorum corpore existimare debeamus. Neq; enim dissimulandum est (fratres) quod obscurari non potest. Fœdissimis temporibus obsecuti indignè cessimus, animos'q; demisimus, qui aduersa hæc, ægestatem, exilium, mortem ferre non potuimus: qui neque constantiam ex Philosophia, nec tolerantiam ex sacris Scripturis perceptam in moribus uita'q; retinuimus: qui ad aliorum nutum & arbitrium cuncta gessimus. Itaq; quod Poeta, licet alio sensu, luculenter dixerit, uerissimè tamen de nobis uaticinatus uideri potest: Tempora mutantur, nos et mutamur in illis. Eiectis hinc & disturbatis nonnulllis, qui christiane de Religione senserant, cæte-

Confessio ordinum Academiæ Cantab.

ri qui remanserunt inhumanitatem eorum experti sunt, penes quos rerum hic gestarum authoritas fuit, quanquam leviori uerbo usus sum quàm oportuit: non enim inhumanitas, sed potius immanitas & feritas censenda est ea, quæ cum omnia genera cruciatus & supplicij in uiuos consumpsisset, cum perseuerantibus uitam, cæteris opes, honores, ac magistratuum gerendorum spem crudeliter ademisset, expleri tamen non poterat, quin maiori furore incensa & concitata in mortuos ipsos sæuire cœperit.

Itaq; cum singula genera flagitiorum singulis in locis perpetrata essent, nec ullũ sceleris genus prętermissum, quod non alicubi factitatum sit, hoc erat Cantabrigiæ proprium, ut crudelitatem, quę in uiuis cruciandis alijs in locis adhibita fuit, eam contra mortuos exerceret. Oxonium Reuerendos patres, Cranmerum, Ridleium, & Latimerum clarissimos Euangelicæ lucis testes combussit: Londini item hæc duo Lumina periere Rogerus & Bradfordus, in quibus difficile dictu est, orationis ne uis et facundia

Oxonij Cranmerus, Ridleius, & Latimerus: Londini Rogerus & Bradfordus combusti.

an uitæ ſanctimonia maior enituerit. Infiniti alij,& in his & in alijs locis,propter ueritatis teſtimonium ad cineres redacti ſunt. Quæ enim ciuitas, non dico tectorum & ædificiorum,ſed ſanctorum corporum quaſi incendio non flagrauit? Cantabrigia uerò,poſtquam iam uiui non extarent,in quos acerbitatis ſuæ uirus euomeret, in mortuos dementer inſaniuit. Mortui,quorum uitam reprehendere, quorum doctrinam refellere nemo potuit, adhibitis falſis & calumniantibus accuſatoribus poſtulati, in ius cõtra diuina humanaq́ iura uocati,damnati, ſepulchris fractis & uiolatis extracta cadauera,& igne cremata ſunt. Rem quidem incredibilem, niſi oculi fidem feciſſent, ac inauditam. Sed huius ſceleris indignitas percrebuit, omni ſermone iactata,& per totum orbem Chriſtianum ſparſa ac diſſeminata eſt.

Beneficiorum Buceri maximorum, qualis recompẽſatio.

Bucerus ingenij & doctrinæ celebritate notus, ab omnibus noſtris penè expetitus, à pluribus autem ſolicitatus atque accerſitus, ut Cantabrigienſibus

ſynce-

syncera Christianæ religionis dogmata traderet, senio confectus & fractis iam uiribus suos reliquit, longinqui itineris molestiam non recusauit, nauigationis periculum non perhorruit, his omnibus propagationem Ecclesiæ Christianæ antiquiorem putauit. Itaque uenit, aduentui ab omnibus gratulatum est: ita deinde uixit, ut non sua, sed nostra causa eum huc aduenisse constaret. Qui nec morbum ex itineris iactatione contractum profligaret, nec cum uires debiles & labefactatæ essent, ualetudini suæ studeret: sed in nobis erudiendis immensam operam, et intollerabiles labores poneret. Et in hunc talem tantumque uirum, uiuum quidem omnia humanitatis officij & obseruantię, mortuum uerò horrenda crudelitatis exempla sunt edita. Quid est enim tam commune, quàm tecta, & domicilia uiuis, mortuis uerò sepulchra concedere? aut quis eum omni hospicij officio fouendum & excipiendum censuerit, cui mortuo Sepulchrum consecrandum non

duxerit? Cuius rursus est inconstantiæ, quem, honorificentissimè concursu omnium laudis & uirtutis preconio sepelieris, huius deinde bustū monumentumq́ uiolare? mortuo, qui in laude semper uixerit, iniustā turpitudinis notam aspergere?

Hæc omnia Bucero contigerunt: cui uiuo summorum Principum & magnificè structæ ædes paterent, mortuo sepulturæ ius diuturnum esse non potuit. Qui cum ad sempiternam laudem humatus splendidè, ad ignominiam posteà contumeliosè combustus fuit. Quæ, quanq̃ mortuum non læserint (in cadaueribus enim doloris sensus non est, nec sanctorum fama ex aura populari & leuissimis hominum rumoribus, sed iusta censura & iudicio pendet) tamen summam crudelitatem redarguit, et inexplebilē uindictæ cupiditatem in eis, qui tam atroci iniuria mortuos affecerint. Hos igitur, quos mortuos è sepulchris ereptos flammis commiserunt, si tum uixissent, omnium credo tectis eiectos, omnium societate exterminatos crudelissimis suppli-

cijs

cijs dilacerauissent: quanquam aduenas, quanquam peregrinos, quanquam huc à nobis ex ea patria accitos, in qua non modo nullum supplicij genus metuendum eis fuit, sed contra honoribus popularique fama illustres & conspicui semper extiterunt.

At quanto humanior istis Gardinerus Episcopus, acerrimus tamen Papisticæ disciplinæ uindex, qui in nostros nullum crudelitatis genus prætermisit, ut nascentem olim Euangelij lucem ferro flammaque extingueret: exteris tamen pepercit, quorum ius tam sanctum est, ut nulla id unquam barbaries uiolarit. Is celeberrimum uirum Petrum Martyrem Oxonij docentem, cum iam in eius potestate esset, retinere ad supplicium noluit, qui ut audiui, decedenti commeatum præstitit: ut quod in nostris iustum statuerit, id iniquum censuerit in peregrinis. Quem igitur ius diuinum cohibere à nefaria suorum cæde non potuit, eum ab exterorum occisione continuit ius gentium, quod omnium barbarorum feritatem leniuit, immanitatemque mitigauit. Gardineri Episcopi Papistæ humanitas.

 gauit.

gauit. In quo quidem maximus cernitur sensus humanitatis, quod in hospitum iure piè inuiolateꝗ; conseruando, barbarissimęgentes semper consenserunt. Etenim homines hominib. accedere, quãuis mari et regionib. distincti longeꝗ; separati sunt, humanum est: sinè quo nec cõmercium ullum, nec sensuum ingenio rumꝗ; cõmunicatio, quæ doctrinã peperit, nec ulla societatis cõmoda constare diu possunt: uenientes repellere, locisꝗ; nostris prohibere, inhumanum: cõmorantes auté, remꝗ; familiarem permissu nostro habentes malè tractare, impium. Quocirca omnes omnium crudelitates ista longè superauit, quę ad exercendam tam inexplebilem sæuitiam, non modo hospites nostro rogatu & accersitu huc uocatos, sed effæta & putrida cadauera è sepulchris effossa ad supplicium rapuit, ut eam uindictę sitim, quam in uiuorum sanguine fundẽdo nõ poterat, saltem in mortuorum ossibus cremandis satiaret.

Hæ sunt (fratres) hæ sunt, inquam, iustæ causæ, quæ diuinam in nos iracundiam

cundiam uehementer cōcitarunt, quòd ad summā iniuriam mortuis faciendam propensi, ad eam autem delendam ni - mis lenti atq; tardi fuimus. Credo enim si mihi fas sit, quæ sentio, liberè dicere, (ignoscetis autem si quædam in calore & cōcitatione orationis effutiā temere) hunc ipsum locum, in quē tam frequen - ter cōuenimus, nouo illo & inaudito sce leris genere contaminatū, obstare nobis diuinam opem implorantibus: precesq; nostras ingratas esse, quas ad diuinū nu- men placandum nobisq; conciliandum effundimus. Abelis sanguis à Caino fu- sus uocem & clamorem edidit è terra, quæ eum absorpserat: ho[illegible] quoq; ca - dauerum indigna cōbustio, à Deo opti- mo Maximo contra nos pœnas exposs- cit, & clamat impuros esse tanti sceleris non modò authores, sed etiā ministros: uiolata loca, in quibus hæc perpetrata sunt: coinquinatū ipsum aërē quem spiri tu haurimus, ut corporis morbis grauissi ma pro tanto scelere supplicia luamus.

Circūspicite diligētet animis, fratres, et

respicite

Diuina uindicta in Anglos a Buceri obitu.

respicite in mala præterita omnia, originem à Buceri obitu hucusq; ductam uidebitis. Cum nos ad huc mœrentes, nec dum post eius funeris dolorem recreatos, primum exciperet sudoris morbus, qui celeriter totam Angliam transiens, & quasi percurrens magnam hominum multitudinem deleuit atque consumpsit: Nobilissimi deinde Regis Edoardi mors immatura, cuius uita omnium opinionem uirtute superauit, & immortalitate digna uisa est, mors præter omnium expectationem accidit in ea ætate, in qua nisi uis adhibeatur pauci intereunt: Religionis conuersio, uel potius euersio, et ad Papismum mutatio: exterorum incursio et dominatio, quorum sub iuga ceruices nostræ penè redactæ sunt: importuna Episcoporum in Christianos sæuitia, quæ facinus illud patrauit, cuius expiandi gratia hodierno die cōgregati sumus. Ac mortuum quidem hæc, combustum uero grauiora sequuta sunt: nouæ & Medicis ipsis incognitæ morborū pestes et contagiones, à quibus singulorum ualetudines afflictæ, aut planè ad interi

interitum conciderunt, aut ægrè restitutæ sunt. Bella cruenta sinè uictorijs, ex quibus ad inimicos commoda, ad nos clades & grauissima detrimenta peruenerunt. Quæ indicant auersum à nobis Deum & iratum fuisse, nec precibus nostris aures adhibuisse, ne clamoribus gemituq; permoueri, sed expectare hũc cœtum conuentumq; nostrum, ut funeribus uiolatis iusta restituantur: & sanctissimorum uirorum fama illæsa atq; integra posteritati commendetur.

Quamobrem resipiscite tandem (fratres) qui propter temporum uarietatem ac inconstantiam suspensi adhuc animis & dubij fuistis, & alacres ac recti estote ad expianda mortuorũ iura, quæ tanto cum flagitio nuper læsa & polluta fuerunt: non obsoletis illis & profligatis odorum suffimentis, sed uera & non simulata animi pœnitentia et oratione, ut diuinum numen anteà infestum, in reliquis nostris uotis magis propitiũ & secundum habere possimus.

Cõclusio, cum exhortatione ad pœnitentiã.

Concio

CONCIO D. IACOBI PYLKINTONI IN RESTITVTIONE D. MARTINI Buceri & PAVLI Fagij.



VM ACHVVORTHVS perorasset, D. Iac. Pylkintonus in Theologia professor Regius suggestum conscendens, pro concione dicit super Psalmum centesimum undecimum, cuius initium est: *Beatus uir, qui timet Dominum, &c.* ubi probaturus memoriã iusti non perriturã, ac Bucerum beatum esse, et impios cum hoc uiderint fremituros, sed frustra omnia tentaturos: ut uerũ sit illud, Maledicã benedictionib. uestris, et benedicam maledictionib. uestris: Exorditur à sua persona, se quidé, etsi satis uoluntariè própté que ad hoc negocium accederet, cũ propter ipsius rei dignitatem, tum etiã propter eorũ singulares quasdam uirtutes, quos consessus ille spectaret: minimè tamen esse idoneũ, dixit, qui hanc causam suscipere deberet. Multo enim æquius fuisse,

Malach. ij.

fuisse, ut qui ante Bucerum iniuria affecerat, is nunc præ cæteris damnum resarciret. Tam abesse, ut ipse illum sua uoce afflixerit, ut utrumq; et illum et Fagiū propter singularem in omni propè doctrinarum genere cognitionem humanissimè complexus sit. Bucerum uerò propter amicitiam, quam habebat cum illo paulò familiarem, aliquanto plus dilexerit. Hanc ob causam, quanq; non satis conueniret, uti is eo tempore diceret, fecisse tamen hoc humanitatis et amicitiæ officium, ut deesse illis in isto negocio non potuerit.

Sic quasi præfatus, ingreditur ipsam causam, in qua grauiter accusat Romanensium immanem illā & barbaricam sęuitiam, qua in mortuos debacchari solent. Grauius quidem esse quàm ut ferendum sit tā crudeliter in uiuos sæuire: defunctis uerò tam impiè aliquem insultare, uix unquam esse auditum dicebat. Nisi quòd rationem istam anathematizandorum mortuorū Roma profectam esse maxima ex parte affirmaret. Etsi Eutychium ita sensisse scriptis traditur

Accusatur grauiter Romanensium sæuitia.

ab

ab Euagrio permotum exemplo Iosiæ, qui sacerdotes Baalis occidit, eorumq; mortuorum ossa in ipsis altaribus exussit. Cum ante Eutychij tempora genus hoc supplicij ferè esset incognitum, neq; postea usurpatum à quoquam (quod audiuerat) usq; ad annos nongētos post Christum. Posterioribus temporibus, quæ quo longius aberant ab aureo illo Apostolorum seculo corruptiora erant, cæptum esse hoc genus sæuitiæ latius serpere. Nam constare Stephanum sextum Pontificem Romanum, qui eum præcesserat in ea sede, Formosum sepulchro effodisse habituq; Pontificio spoliatum ueste seculari (ut uocant) sepelijsse, abscissis & proiectis eius duobus digitis, quibus suo more consecrare & benedicere solebat, in Tyberim. Hanc uero illius tyrannidem quam in Formosum exercuerat, sex annis post in ipsum eundem Formosum, Sergium tertium auxisse, effosso enim post mortem eius corpore, & in Cathedra Pontificia collocato, caput amputari, dissectisq; à reliquo corpore tribus reliquis digitis, truncum in fluen-

Stephani VI. & Sergij III. in Formosum crudelitas.

tem

tem Tyberim conijci curasse:quin & decreta etiam illius, quod à nemine antè eum diem factum esset, omnino abrogasse. Exercendæ tantę immanitatis causam hanc esse(referente Nauclero)quod Formosus Stephano & Sergio, cum Pontificium honorem ambirent, aduersarius extiterat. Pontifices ipsos hoc genere inauditæ crudelitatis, mutuò in se aliquandiu sæuijsse, nunc autem in nostras ceruices, cum nondum ipsi satis in se experti essent, idem cõuertisse. Optandum quidem fuisse, ut quod ab ipsis cœperat, apud authores uticp ipsos mansisset:necp indè ad nos fuisset propagatũ. Sed sic esse mali ingenium, ut in exemplũ facillime transmittatur. Nam circa annum M. CCCC. apud nos Ioan. Vviclefum eodem modò effossum, redactumcp in cineres in fluuiũ, quod oppidũ, ubi sepultus erat præterlabitur, coniectum fuisse.

Idipsum quocp expertũ esse Guli. Traceum Glocestren. uirum genere clarum, quoniã testameto scripserat, se sola fide in Iesum Christum saluũ fore, necp ad id egere opera cuiuscp alterius, siue in cœlo

Gulielmus Traceus Glocestrẽsis.

is esset, siue in terris et ꝓpterea Legatum in eã tẽ sicut oẽs facere cõsueuerãt nullũ reliquerat. Factũ hoc fuit nostra memoria, ad xxiiij. annum Regni Henrici octaui. Et uerò cũ sic in mortuos sæuirẽt, quid de uiuis facere uellent, facilem esse coniecturã aiebat. Multis nos exemplis nostrorum hominũ superioribus his annis expertos esse. Et si paulo antiquiora mallemus recolligere, licere ex historia nostrorũ temporũ insigniora dare. Sufficere ad eius rei demonstrationẽ ferinã illã Regis Galliæ lanienã, quã in Vualden. ad Cabrierã et uicina ei loca, duce Minerio circa annũ M.D.X V. exercuit: qua nihil unquã legi posset crudeliꝰ, ne à barbaris quidẽ esse factũ. Et tamẽ cũ tã immaniter in istos et cõplures alios à multis sæuitũ esset, tã abesse ut Euãgelij lucẽ restinxerint, quã conabãtur obruere, ut indies magis ac magis accreuerit. Atq; hoc quidẽ Carolum V. quo neq; orbis noster prudẽtiorẽ Principẽ, neq; Ecclesia Christi ferè grauiorẽ aduersariũ habuit, facilè animaduertisse. Et ꝓpterea cũ haberet in sua potestate Lutherũ mortuũ, uiuos uerò Melanthonem,

Anno D. M. XXX.

Laniena Francisci regis Galliæ in Vuald.

nem, Pomeranum, & quosdam alios Euangelij pręcones, nō solū nō statuisse aliquid in eos grauius, nec sepulchra uiolasse: sed tractatos humaniter dimisisse, ne phibitos quidē eā doctrinā quā profitebātur uulgo enūtiare. Hoc esse ingeniū Ecclesiæ Christi, ut quo magis in eā Tyrāni insultāt, eo magis augeatur et efflorescat. Insigne quidē documentū prouidentię uoluntatisq; diuinę in serendo Euāgelio, fuisse aduentū illū Boëmorū ad nos audiēdi Vviclefi causa, de quo diximus, qui tū publicè Oxonij legerat: et nostrorum quoq; hominū exorta persecutione ad ipsos Boemos profectionē. Sed multo tamē celebrius esse, q̄d his nostris tēporib. cōtigisse uidimus. Hispanos opprimēdi Euāgelij causa in hoc regnū accersitos, reuersos domū multas suę patrię partes eadē religiōis ueritate cui⁹ hostes erāt repleuisse. His exēplis perspicuū satis fieri, frustra moliri huius mūdi Principes illius euersionē, quā diuina nūc clemētia, nō in eas modo regiones quas diximus, sed in Galliam, Poloniam, & Scotiam, & reliquā penè omnem Europam dis-

NOTA propria Ecclesię Christi quid.

seminauerit. Nam & Italiæ quoque partes aliquas (quamuis Pontifici ipsi uicinas) iamdudum tamen ad agnitioné diuinę ueritatis propédere. Satis arguméti ab eius successu & increméto duci, ut doctrinam hanc diuinitus ad nos missam crederemus, nisi uoluntariè essemus cæci.

Quod si quis pluribus sibi persuaderi cuperet, licere illi oculum adijcere in illam Pontificis & Cæsaris coniunctis copijs in Boëmos expeditionem, in qua Cæsarem ipsum cum tanta indignitate repulsum ab exigua hostium manu fuisse, ut nusquam ferè maiorem ignominiam acceperit. Huius rei etiam maximè memorabile exemplum esse mortem Henrici Gallorum Regis, qui eo ipso die quo proposuerat Ecclesiam Christi affligere, & quosdam ex suis, quos habebat in uinculis, religionis causa flammis cōmittere, quorum supplicio se quoq; interfuturū promiserat, in medio triumpho, à subdito quodam suo hasta in caput defixa, ita uulneratus est, ut non ita multo post è uita emigrarit. Nec minus metuenda Dei iudicia domesticis exemplis

compro-

comprobata esse. Quendam enim sanctorum Christi insignem carnificem uiuum putruisse, neque adhuc mortuum tam ingratum, ut fertur toto corpore foetorem exhalasse, nemo ut ad eum amicorum sine nausea posset accedere: alium uerò desperata ferè omni salute miserabiliter eiulasse: alium correptũ furore, complures quoq; alios, qui Ecclesiæ aduersabantur, misere periijsse. Certissima hæc argumenta diuinæ Maiest: in Ecclesiã quidem benignitatis & tutelæ, in ipsos uerò Tyrãnos indignationis & uindictę fuisse.

Is fuit Stephanus Gardinerus Episcopus Vvintonensis.

Et quoniam de Boëmis mentionem fecerat, appositissimum esse dicebat huic negotio exemplum Ziscæ ipsorum ducis, qui cum esset illi moriendum, suum cadauer excoriari iussit, & sua pelle tympanum militare obtegi curarent. Fore enim ut ubi eius sonus ab hostibu audiretur, contra ipsos non possent consistere. Simile consilium ipsum de Bucero illis dare, ut quod oẽmi de pelle Ziscæ, id illi de argumentis & doctrina Buceri uellent facere: simulatq; enim eius uocem Pontificij audirent, eorum deliria

Ziscę ducis Boemorum exemplum.

statim quidẽ occasura esse. Prẹterq̃ enim q̃d uim adhibeãt resistentib. nihil habere eorũ doctrinã, q̃d ratione aliqua apud Sacras literas uel mediocriter intelligẽtes niti uideatur. Quę autem fiunt ab ipsis in eos, qui insanire cũ illis non possunt, quę dam apertã uim, quędã ridiculã stultitiã sapere. Quid enim hoc primum, an non friuolum esse toto triennio Missam celebratam in templis ubi quiescebant in Domino Bucerus & Fagius, nihil pepe risse offendiculi: statim uerò, ubi illis ui sum est, piaculum esse, si ibidem audia tur? Aut non minus tunc quoq; bonum esse quàm antea fuerat? Aut si tunc esset nefas eam celebrari eo loco, ante acti tem poris culpã eò grauiorem esse, quo tum fuerat antiquior? Deinde illud quoque inane fuisse, Bucerum & Fagium solos defodi sepulchro.

Fannius Prætor urbanus osõr papatus.

Quid enim? an hi tãtũ eã religionẽ quã hęresim appellabãt amplexi sunt? Perspicuũ fuisse quo animo erga religionẽ Pontificiam fuerat is homo Prætorianus eius Oppidi, qui cũ moreretur neq; campana tum pulsus in illius anniuersario, ut uo-

cant,

cant, neq; exequiarū celebritatē, neq; aliud quidq; eius generis nugarū fieri mādauit: sed potius adhiberi instrumēta Musica, quæ præirent Maiori & urbis Senatui eius memoriā celebraturis: et sermonem ad populum quotannis haberi iubebat. Cōcionatori pro impēsa opera certā pecuniæ summā testamēto inscribens. Neq; uerò prætereundū hoc loco ab illis fuisse Vvardū illū pictorē, licet obscurū hominem, religionis tamē causa quā diligēter sequutus est, nō cōntēnendū. Neq; alios cōplures, quos certissimè cōstabat in istarum partiū studio fuisse, et in aliis cœmeteriis per Cātabrigiā uel potius omne regnū conquiescere, nec tamen Missas suas cōtaminasse. Quos aut oēs quidē, quoniā idem senserāt, exhumādos fuisse, aut oēs cū eadem religione potuisse dimitti: Nisi quid liceat, quid uerò nō liceat id esset potestatis ipsorū p suo arbitratu edicere. In condēnatione uerò istorū Buceri uidelicet & Fagii, nimia illos crudelitate, nimia ui usos fuisse. Vtcunq; enim constaret de doctrina Buceri, de Fagio nihil habere ipsos de quo posset accusati.

Vvardus pictor pius.

De Fagio quod accusarent nihil habuisse.

sari. Nihil illum scripsisse quod extabat, præter pauca quæ ex Hebræa aut Chaldaica lingua Latina fecerat. Post illius autem aduentum in hoc regnum, nec legisse, disputasse, aut concionatum fuisse, aut docuisse, & tam breui tempore interijsse, ut sanè nihil dum occasionis dederit, unde aduersarij accusationem in illum instituere possent, quem nunquam loquentem quicquam audijssent.

Quod uerò Bucerum tam capitaliter oderint, propter probatas Ecclesiasticorum hominum nuptias, sine causa susceptas ab illis inimicitias, & hanc ipsorum meram esse calumniam. Habere enim illum præter cætera istius causę præsidia, testimonium Pij secundi Papæ, qui alicubi magnis de causis ablatas esse sacerdotibus suas uxores, sed maioribus restituendas fuisse dixit: Et edictum Cæsaris (Interim uocant) quo cauetur, ne qui ex ordine Ecclesiastico matrimonium contraxerunt, ab uxoribus separarentur. Atque ab his ad Academiæ ordines conuersus, ingratitudinem eorum, quam erga hos homines

Academia reprehenditur ingratitudinis.

hominesostenderant, paucis uerbis reprehendit. Nam si Dominus ossa regis Edom effossa & exusta, hominis impij licet, inulta non esse est passus (ut ait Amos) certè piorum præconum suorum iniuriam tam insignẽ impunè non feret. Amos ij. cap. 2

Post etiam cum ueniret ad condemnationem (quam diximus superiori actione à Perno Procancellario, eorum nomine pronuntiatam esse) paulò commotior factus, admonet, quantum ipsorum interesset, summã adhibere cautionem, quid de quoq; suffragijs suis ad honores & gradus Academiæ sumendos uel reijciendos decernerent. Quod enim ab illis authoritatem sumeret apud reliquam multitudinem, quæ propter opinionem quam habebat de eorum doctrina, iudicio, approbatione & scientia de illis benè sentiret, præiudicij multum parere. Fieri autem posse, si idoneis tantum hominibus honores suos mandarent, & indignos dimitterent, ut et Resp. ab illis multum acciperet utilitatis & commodi, & præterea Deo quoque placerent. Quod si minus curarent, & Rempub.il-

los grauißimè læsuros esse, & infamiam quoq; sibi iustißimè quidem contractu- tos: præterquam quòd diuinā Maiesta- tem grauiter offenderent, cuius edictum de non dicendo falso testimonio hoc fa- cto suo uiolarent.

Interim dum ille hæc & alia multa sic diceret ad populum, multi ex Academia ornandi ac defendendi Buceri causa, uer sibus partim Latinis, partim Græcis & Anglicis, templi parietes & aditum ex utraq; parte sepiebant: quibus animo- rum suorum erga utrumq; & Bucerum et Fagium, apertam significationem da- bant. Finita demum concione, celebran tur publicæ preces, quibus cum gratias Deo inter cætera pro restituta tandem syncera ueraq; religione egissent, ab omnibus est discessum.

LITERAE ACADEMIAE CANTABRIGIENSIS, AD COMMISSARIOS REgiæ Maiestatis, in causis religionis.

Reue-

REVERENDISSIMO IN CHRISTO *patri ac Domino D. Matthaeo Archiepiscopo Cantuariensi, totius Angliae primati, & reliquis summis Illustrißimae Reginae Commissarijs.*



ITERAE VESTRAE DE Bucero Sanctißimo homine, & planè diuino, dum uixit, nunc autem beatißimo, qui cum Deo ipso habitat, uehementer gratae acciderunt cuncto senatui nostro. Id enim flagitauerunt à nobis, quod summo studio, incredibili uoluntate, mirifica frequentia, concursu, plausu, laetitia omnium perfectum est. Nam ut literae uestrae lectae sunt, iniuriae'que à uobis commemoratae, quibus ille Vir excellens mortuus est uiolatus, omnes ad eum honorandum inflammatis animis statim exarsimus. Primũq; referebatur, ut Bucerus Fagiusq; perditis illis & miseris temporibus, quae non ita pridem sunt elapsa, improbè & sceleratè tractati, per nos ea recuperarent, quę tum nefarie illis erepta fuerunt. Id omnes ordines approbarunt. Cõstitutus deinde dies quo, concursus ad eos celebrandos fieret. Eo die

cuncta

cuncta se effudit Academia: desyderio talium uirorum, domus omnes exinanitæ: aderat prætor oppidanus cum suis: magna undique confluebat multitudo. Cum omnium animi essent erecti expectatione, habita mox oratio est ex superiore loco, quæ Buceri laudes, & Fagij, præstantes que uirtutes, querelam etiam superioris temporis complexa est. Deinde subsequuta concio, qua diuinitus demonstratum est, huiusmodi hominum, quales illi fuerunt, memoriam, nullis humanis uiribus, nullis opibus, nulla calliditate opprimi et extingui posse. Aditus templi circumfusus uersibus, quibus eorum uita omnis est expressa. O diem illũ præclarum & honorificum huic Academiæ, quo tantorum hominum laudes libere prædicabatur, quo doctrina Buceri sancta, syncera, pura, quæ plurimis eius scriptis cõsecrata extat, publicè declarata, et tacitis omnium iudicijs cõprobata est. Academia autẽ præstitit Bucero omnia: nam et uiuũ coluit, et mortuum summo officio prosequuta est, quũ publico luctu eius funus honestaret: Iesum deinceps

ceps et notatũ, iã condecorauit ut potuit. Sed illius uiri existimatio lædi nõ potest iniurijs: quo enim crudelius afflicta eius fama et uexata fuit, eo certè erit illustrior et cõmedatior hominũ memoriç sempi ternç. Hoc in homine ornãdo nihil prç-termissum est à nobis, eo die que uobis supra posuimus ante oculos, summum'q; honore, qui à nobis proficisci posse uide batur, excitati authoritate uestra, per nos metipsos etiã paratissimi, illi debitũ, nec satis magnum fuisse arbitrabamur. Sic enim & nostræ cupiditati eũ illustrandi mortuũ, à quo uiuo omnes getes accepe runt summa beneficia: & uestris preterea literis, in eam sententiã scriptis, fecimus satis. Deus amplitudinem uestram con-seruet. Datum Cantabrigiæ,
è Senatu nostro, tertio
Nonas Augusti.
M. D. LV.

Vestri honoris cupientissimi,
Procancellarius, & reli-
quus noster Senatus.

ENCOMIASTICA VARIA, CVM GRAECE TVM LATINE CONSCRIPTA in laudem restitutorum D. Mart. Buceri, & Pauli Fagij.

GVALTERI HADDONI LL. DOCTOris, & Reg. Maiest. à supplicibus libellis, In exhumationem et restitutionem uenerandi Patris, D. Martini Buceri.

ERgo tuos cineres effodit dira tyrannis?
Credidit & nullos esse Bucere Deos?
Non ita: sed Deus est summus uirtutis amator,
Et grauis admißi criminis ultor erit.
Frende Satan, iaculare minas, & concute dentes,
Nulla dies Christi lædere membra potest.
Tristia præclari flagrabant busta Buceri,
Cum Satan igniuomo sparserat ore faces:
Sed Domini clemens extinxit dextera flammas,
Atq; nouo cineres fecit honore coli.
Sic pietas tandem uictrix super æthera scandit,
Subijcit & Christo colla superba Satan.

IN REDINTEGRATIONEM NOMINIS BVCERI IOannis Freri D. medicinæ.

O uarias

O uarias hominum mentes, ô tempora, mores
Proteas ô plusquam mobilis aura leues.
Vt populus deamat, quod mox capitaliter odit?
Vt nil perpetuò nos retinemus idem?
Nam quem pro meritis prius hic super extulit astra,
Vox eadem in stygias præcipitauit aquas.
Turpiter hæreseos damnauit sacra docentem,
Nec nisi de Domini fœdere rapta sui.
Mortuus accitur præconis uoce, rebellem
Quòd non comparet, Iudicis ira probat.
Hoc nec contenta est hominum furiosa libido,
Quin etiam effodiens putre cadauer humo,
Sæuiter iniecit flammis (miserabile uisu)
Censuit & summè se coluisse Deum.
Hæc ego crediderim manifesto numine gesta,
Quo ueri & falsi regula certa forent.
Altera pars sæuit, patienter at altera suffert,
Alterius scelus est, alteriusq; fides.
Vi cogunt, geniti qui sunt humanitus omnes:
Se pius haud uinclis uerberibusq; negat.
Conseruata fides moriendo, relligioni
Incrementum addit, uictima grata Deo.
O scitu res digna? furor dum dirigit ictum,
Errat, & ignorans in sua damna ruit.
Erroris uoluit tibi Bucer inurere famam:
Sed sic maiori nomen honore uiret.

Carmina multa tuæ peragunt præconia laudis,
Coniunctis studijs funere scripta tuo.
Obruet hæc annis nunquam spatiosa uetustas:
Hinc uitæ integritas eminet alma tuæ.

In eundem Gulielmi Daij.

Et uita fœlix, Bucere, & morte fuisti:
Et cœlum, gemina sorte beatus, habes.
Quid uiuus poteras optare beatius unquam,
Quàm uiua summum uoce docere Deum?
Quid moriens? quàm (quod uiuus sæpe ante petisti)
Vita quod hæc docuit, morte docere tua?
Scilicet hæc superas ijsti sortitus ad oras:
Vt meritò ex omni parte beatus eas.
Quàm fortunatus, qui, ne quid tale uideres,
Qualia sunt mortem damna sequuta tuam,
Omnibus ereptus curis, cœlestia scandis
Sydera, supremas iussus adire domos.
Sic ô sic iusti misero rapiuntur ab orbe,
Ne uideat mœstos turba beata dies.
Credimus interea, communi lege perisse:
Nec dextram æterni cernimus esse Dei.
Verum age, quantumuis modico claudare sepulchro,
Parua nequit nomen testa tenere tuum.
Quantumuis ferro flammaq; ferociat orbis,
Non perit extructis gloria tanta rogis.

Maior

Maior agit Diuus, per quem, bis mortuus, auras
Emergis uiuus rursus ad æthereas.
I nunc, qui cœlum ferri sine Numine dicis,
Noscere prudentem disce, Epicure, Deum.
Discite qui terras undis, qui tartara cœlo
Miscetis, superi discite regna Dei.
Qui frigere facit flammas, ardere pruinas,
Quiq; etiam media uiuere morte facit.

Eiusdem in eundem.

Quæ cecinit tristes morienti Musa querelas,
Nunc eadem uiuo carmina læta canit.
Sed quid adhuc uiuum dico? bis mortuus auris
Numquid adhuc uiuus uesceris æthereis?
Non equidem: nec fata sinunt, ut corpore uiuas:
Mens est, qua semper parte superstes eris.
Quòd si post cineres mansisses uel leuis umbra:
Sensisset rapidos, uel leuis umbra, rogos,
Nempè manes non umbra leuis, nec subditus igni:
Verum Euangelij buccina clara Dei.
Sic uixti, uiuesq; etiam Bucere superstes
Occasumq; ferent tempora nulla tuum.

Eiusdem in Bucerum & Fagium.

Bucero primas dedimus, tibi Paule secundas
En damus, Hebrææ gloria Paule scholæ.

Hoc uno inferior Bucero Paule fuisti,
Quòd prior extremum cernis adesse diem.
Verùm illo maior Bucero Paule fuisti,
Quòd prior æterno es iussus adesse Deo.
In reliquo similem duxistis tempore uitam,
Ambo salutiferi buccina fida Dei.
Ambo stelliferi sparsistis semina regni,
Semina prouentu non caritura suo.
Vnde utrumq; Deus magno dignatus honore,
Vtrumq; ad superi transtulit astra poli.
Et ne uestra queant communia fata putari,
Qualia sunt, quæ nos, uulgus inane, ferunt:
Mors postquam è uita solita uos lege tulisset,
Restituit sacris ossa cremanda focis.
Non ut confeßi tantum, sed ut ultima paßi
Scandatis celsi sydera summa poli.
Fœlices animæ, superas licet ijstis ad oras,
A nobis uestrum nomen abire nequit.
Eximia semper uiuetis laude perennes,
Quam canet Aonijs nostra Thaleia modis.

In eundem Antho. Girlingtoni.

Non uehemens animus, sed mens fera, ferrea, sæua,
Extincti famam quæ uiolare studet:
Per scelus impurum qui lædit iura sepulchri,
Abijcit ille hominem, suscipit ille feram.

Immanis

Immanis parcit non nunquàm bellua stratis:
Sternitur, atq; iacet: quò furibunde ruis?
Sed non interijt, sensu tum morte perempto:
Iustorum certè uita perennis erit.
Non sibi natus erat, sibi gratum cedere uita:
Mors sibi, sed reliquis, commoda uita dedit.
Excellens inerat pietas, diuináq; uirtus,
Vita grauis, constans, casta, probata bonis.
Mens eadem rebus, uarijs infracta ruinis,
Non elata bonis, omnia ferre potens.
Fuderat aßiduè uiuens oracula sacra:
Non sibi parcendum censuit esse seni.
Iustus honos igitur uirtuti debita merces,
Concio quem celebris læta hodierna dabit.

In eundem Alani Parr.

Flos manet Palmæ, neq; lædit æstus,
Nec recedentis nocet umbra Solis,
Quin suas affert sibi bruma gemmas
Flore recenti.

Iuste, sic coram Domino uirescens
Fama florebit tua Palma Christi es,
Sæuiat, quantum uelit, improborum
Turba cruenta.

Viuit, haud ultrà moritur Bucerus:
Viuit in Christo, licet impiorum

Fex,sacros eius uiolare manes
Non dubitarit.
Mente cum Christo fruitur perenni
Luce,nec possunt tenebræ nocere.
Sint Deo grates,tenebras abegit,
Luce fruamur.

In eundem Thomę Penny.

Laudibus ecce uiget Buceri fama superstes,
Quam ferro & flammis,sceptro fulgente Maria,
Depopulaturi,strinxerunt arma Papistæ.
Ridiculis nimium flammis putrida ossa dederunt
Corporis extincti:stimulat sic ira furentes.
Tela tamen prohibente Deo iacit irrita liuor:
Stat pectus nullis odij uiolabile telis.
Authoremq; suum strauit retroacta sagitta.
Mortuus est mundo,gemuit hanc Academia mortē,
Sed uiuit Christo,probat hanc Academia uitam.
Innocuus uixit,docuit pia dogmata Christi,
Confregit uiuens fulgentia cornua Papæ,
Romanum triplici monstrum quod latrat hiatu
Vertere terga (dei confisus numine) fecit.
Vixit & inuictus, uitam uictusq; profudit:
Semper in hac pugna uictis uictoria cædit.

Εἰς τὸν αὐτὸν τοῦ Θωμοῦ
πεννήρου.

Ω Καρ

Ὦ Καντάβριγιη ἐν πάντι τὸ θεῖον ὁρῶσα
νῦν, ὅτι συμπάσων αἱρέσεων στέρεαι.
ἄθρει καὶ νόει ὡς ἐλεήμων κύριος ἐστὶν,
ἐν τῷ ἀφεῖναι σοὶ πταίσματα πάντα σέθεν.
δόγμασιν ἀνθρώπων ὕλοισιν ὅταν σεσάλευσαι
εἰλικρινῆ χριστοῦ δῶκε διδασκαλίαν.
καὶ τὸν Βουκῆρον ταύτην κηρύξ' ἐκέλευσεν
ἐν δημηγορίαις, ἔντε βιβλοῖσιν ἑαῖσ.
ἀλλὰ σὺ μὲν κείνην ἀσεβῆ ὡς αἵρεσιν εἷλες,
ἥν γε σαφῶς ἔγνως ἔμμεναι θειοτάτην.
οὐ μὴν παντοκράτωρ σε θεὸς συνωπώλεσε πάμπαν
μᾶλλον πρὸς κρείττους ἀλλ' ἐφυλάξε χρόνους.
αἴνησον πόλι λάμπρα θεὸν, μηδ' ἤθελ' ἀκούειν
ἠλιθίων βουλῶν, ἀλλ' ὑπάκουε θεῷ.

Εἰς τὸν αὐτὸν τοῦ Γηωργίου Βλάιθου.

Βουκῆρον μὲν ζῶντα θεὸς παράδειγμα τέθεικε
ἡμῖν τῆς ἀρετῆς πᾶσιν, τέλος ἡ δὲ χολώθεις
αὐτὸν ἀφεῖλ' ἐκ γῆς, βίον ἀθάνατόν τε δέδωκε,
ἣν γ' διδασκαλίην τε τρόπους τε τοσοῦτος ἐκεῖνος,
οἷον ἔδωκε θεὸς θνητοῖς οὐ πώποτε πᾶσιν.
ὡς τοίνυν ἔτι ζῶν ἡμῖν καλὰ πολλὰ παρεῖχε,
τίνομεν (οὐ μὲν ἅλις) λύγροι τὰ δίκαια θανόντι,
ἀρκτὸς ῥωμαῖος μετὰ ταῦτα βρύχων τε βιάζων,
τὸν ταφὸν (ὡς ἀδίκως) ἀνδρὸς γύμνωσεν ἀθώου,
μῶν οὐκ οἶδε θεὸς ταῦτ'; ἔγνω κοὐκ ἀποτίσει;

τοὺς υἷους Μωὰβ τιμάρχου, οἳ κατέκαυσαν
ὀστέα σαθρὰ κακοῦ Ἰδουμαίων βασιλῆος,
εἰ δὲ κακοῖς θεὸς ἔκδικος ἐστι, ἀγαθῶν ἀμελήσει;
ἀλλ' οὕτω φανερῶς δεῖ τοὺς αἱματοπότας,
Βουκήρου τε πάλιν φήμην παρὰ πᾶσι τελεῖσθαι,
μάρτυρα καὶ χρίστου, ἅμα ζῶντα θανόντα γινέσθαι.

In eundem Guliel. Kingi.

Ecce, iterum pulsis oritur lux clara procellis,
Aureus et medio ludit nunc Phœbus olympo:
Tandem cesserunt meliori Regna sorori,
Quo nihil esse potest nostro fœlicius orbi.
Ergo age, pro tantis laudemus numina donis:
Solennes gratis oneremus uocibus aras.
Rursus sacra Dei resonant præconia, rursus
Ecce Euangelium nostras peruenit ad aures.
Quodq; magis mirum est, ruptis rediuiua sepulchris
Se tollunt patulas putrefacta cadauera ad auras.
Quanquàm quid falsò putrefacta cadauera dico?
Ecce iterum tremuli cineres in corpora surgunt:
Bucerus Fagiusq; iterum se uiuere dicunt.
Donec enim audiri poterit uox illa salutis
Nuntia perpetuæ, illorum quoq; nomina uiuent.
Frustra ignes uestros struitis, frustra arma mouetis,
Spes tantæ uestros metuunt nec tela, nec ignes:
Quin tandem in ueras det sese Academia laudes

Bucerum,

Bucerum, Fagiumq; suos agnoscat Alumnos,
Accipiatq; sinu placido, foueatq; receptos,
Se Matrem ostendat, nimium fuit illa Nouerca.
Et nunc summe Deus similem fac ducere uitam,
Vt simul hæredes celso regnemus Olympo.

In eundem Edoardi Scoti.

Te, nisi communi prognatus lege fuisses,
Indigne è nostro fata tulere sinu.
Quippe tot ingenij cepisti à numine dotes,
Dignus ut ingenio sis superesse tuo.
Ergo si uix te tetricæ sine crimine Parcæ,
Iusserunt lutea ponere corpus humo:
Quàm graue pondus habent sceleris, qui sancta sepulchro
Non permiserunt membra iacere suo?
Sed bene prospexit uobis qui sydera torquet:
Inuidia authori semper obesse solet.

In eundem Thomæ Bingi.

Occideras Bucere semel, semel orbe relicto
Iussus es ad superos ipse uenire Deos.
Et fugis è terris, corpus mortale relinquis:
Corpus humo tegitur, mens petit astra Poli.
Fleuimus, & merito (quis enim tunc flere negaret?)
Signa suæ mentis carmina quisq; dabat.

Occideras iterum, cum dira & fœda Tyrannis
Non siuit tumulo membra iacere tuo.
Irruit in putridos artus, sensuq; carentes
Sæuijt in cineres turba cruenta tuos.
Tunc luxit miseram mœrens Academia cladem,
Et dedit inuitos Musa coacta modos.
Sed benè prouidit summi moderator Olympi,
Altera mors laus est, altera uita fuit.

Dialogus, Germani & Angli, incerto authore.

Ger. *Dic ubi Martini tumulus?* An. *Quid? fortè Buceri.*
Ger. *Hunc ipsum quæro.* A. *quid dicã? proh pudor ingẽs.*
Ger. *Immanes illum fœdarunt ecce Tyranni.*
In cineres sæuire solent? quis nam author et actor?
Ang. *Proditor en Patriæ Polus, quem Papa remisit*
Author erat sceleris; demensq; Datarius actor.
Ger. *Dic quibus adiuti? quid uestra Academia fecit?*
Ang. *Nulla fuit, miseranda fuit, spoliata Magistro,*
Denudata bonis, indoctis plena Papistis.
Hic sceleratus erat Scotus, hic & Christopher ὄνος
Vanus Vuatsonus, κέπτης Colus, impia turba
Isti ductores fuerant. Tu putride Iunge
Expertus flammam, debebas parcere flammæ.
Bardus Bullocus, stulti cognatus Aselli,
Atq; Papistarum turpis sentina malorum,

Ger. Quos Antichristus donauit uertice raso.
Hei mihi tu quæ monstra refers? nũc dicito quando?
Ang. Infandum est, hospes, memorare lugubria regna,
Fœmina cum Papæ seruit Regina Tyranno,
Exule cum Christo nutans Ecclesia tota
Bestia cum sanctos urit spurcissima fratres,
Innocuoq; gemens cum aspersa est sanguine terra,
Cum mundus totus sentiret numina læsa.
Ger. Quomodo, dic, factũ est? An. quin risum cõtine, dicã.
Templum suspensum, putrescens pixide monstrum
Inde exportatum, tum sedes facta superba
Occasum uersus (quid si non cernere cœlum
Vellent, et meminisse Deum ista ulturũ aliquando)
Tanquam Dij picti, seu cassi mente sedebant,
Atq; peremptoria defunctum uoce citabant.
Ger. Apparet? An. uah qui poterat? uix ossa manebant:
Fustibus armati & gladijs pauca ossa cremabant.
Ger. Quid porrò sequitur? An. cæcũ monstrare furorem
Hij: populus ridere horum stultissima facta.
Fœlix culpa quidem, laus sic donata Bucero
Duplex: laus Martine tibi iam contigit indè,
Post mortem es fidei testis, sine sanguine Martyr:
Quodq; futurus eras, uitam si fata dedissent,
Hoc furor immanis, crudelis, dirus, et atrox,
Et sæui in cineres tibi donant ecce Papistæ.

Quiescit in pace Ecclesiæ.

In eundem Thomæ Ieffrei.

In ſanctos ſæuit mundus, fera bella minatur:
Nouit cum Chriſto uincere uera fides.
Bella gerit mundus tecum diuine Bucere,
Tu ſemper fidei numine tutus eras.
Nobilis ô fidei doctor, Chriſtiq; miniſter,
Tu procul à mundo nunc ſuper aſtra manes.

Τοῦ αὐτοῦ εἰς τὸν αὐτόν.

Δάδετε δυσμενέες, θεὸς ἔκδικος οἶδε δικάζειν:
ἐκ δὲ κακῶν σώζειν, οἶδέ τε τοὺς ὁσίους.
μήποτε Βούκηρος τρομέει ψευδηγόρον ἄνδρα
οὐρανὸν αὐτὸν ἔχει, καὶ φθόνος οὐχ ἕπεται.

In eundem Thomæ Noki.

Quid premis extinctum feritas Romana Bucerum?
Quid uomis in tantum, Roma, uenena uirum?
Aethereum cuius uirtus excelſa theatrum
Concutit, & uiui regia templa Dei.
Audet eum ſacro Roma exturbare ſepulchro?
Audet eum ſtructis Roma cremare focis?
Quem Deus elegit, rabies Papiſtica torſit,
Quem rapuit uelox ignis, Olympus habet.

In eundem Ioan. Tayleri.

Eſſe

Esse quid hoc dicam? Christus cui gaudia cœli
Largitur, sæuus Papa negauit humum.
Regula sed uitæ fuerit si recta Buceri,
Putrida quid magni criminis ossa luunt?
Quod si praua fuit Buceri semita uitæ:
Cur uocat hunc clemens in sua tecta Deus?
Iustus at est Dominus, superi regnator Olympi,
Et iustus sanctos in sua templa trahit.
Arguit iniustos Dominus nimis ergo Papistas:
Qui comedunt iusti corpus & ossa uiri.

In eundem Thomæ Prestoni.

Inspice Romulidum sanctißima dogmata patrum,
Quosq; tulit primos inclyta Roma duces:
Heroum turbas quot produxere Mycenæ?
Et quibus exultant Attica regna, uiros.
Græcula Mæoniam collaudant regna poësim
Sola Demosthenеos Attica regna sonos.
Roma triumphali donauit fronde Maronem,
Cedit, Io, Cicero lingua Latina tibi.
Nos aciem, ô socij, patiemur hebescere nostram?
Ibit & in luctus funere mersus honor?
Tollite præcones, succingite carmine muros,
Buceri multo carmine uiuat apex.
Vixit patricia plenus grauitate Senator,
Illi succeßit gloria rara togæ.

Plaudite

Plaudite densato palmas clamore togati
Omnes, & uarios insinuate iocos.
Viuat honor rapti ferali morte Buceri,
Famaq; per nullos interitura dies.
Membraq; fatali miserè uiduata sepulchro
Ante tuos uiuant (Anglia clara) duces.

In eundem Hugonis Geruasij.

Stulte quid hostiles minitaris Papa secures?
Quidue ferox geminas uertis in arma manus?
Scis nos posse mori, uinci non posse probasti,
Dum cadimus, media uincere morte facis.
Vera solet damnis Ecclesia crescere: nam mors
Vnius multis uita fit atq; salus.
Prima morte parum, multò plus morte secunda
Cognita sunt populo nomina nostra Dei.
Quò magis accensis crescent incendia flammis,
Viuet eò nostrum nomen in orbe magis.

In eundem Thomæ Nandsi.

Si mihi quis dicat, uiuum consumere uiuos
Flammis, haud quidquàm res nouitatis habet.
Corpora namq; uorax ussit centena Bonerus
Viuida dum uiuus spiritus ora habuit.
Mortua si dicas ussisse cadauera uiuos,
Auribus haud nostris fabula rara foret.

Namq;

Namq; Dido, Minos, Ptolomæus, & Hercules olim
Mortua dicuntur membra dediſſe rogis.
Aſt mihi cum dicis monumenta relinquere patres
Defunctos, tumulum & deſeruiſſe ſuum,
Viuida ut igniuomis conſumant corpora flammis,
Quàm dubius dubia uictito mente miſer?
Vera tamen res eſt, pius ecce perambulat urbes
Bucerus, facit et Fagius illud idem.
Vindictam miſera poſcunt de gente ſupernam,
Et poſcunt meritis præmia digna malis.
Illico Lethæas Papam iactabit in undas,
Et iacit, & miſerum uiuida flamma rapit.
Illud conſpiciens quæ turba Papiſtica manſit
Protinus, ô, cineres putrida & oſſa petit.
Diruit è tumulo ficto doctorculus ore
Bis, bisq; hæreticos clamitat eſſe uiros.
Curritur, inde parant flammis crepitantibus ignem,
Putrida uah rigidis ignibus oſſa cremant.
Tum Deus omnipotens ſummo deſpexit olympo,
Miſſus & à cœlis eccè Bucerus adeſt.
Protinus et ſpurcum ueniens deiecit in ignem
Gardnerum, hunc ſequitur Vuhitus alumnus ei.
Quid multa? innumeri ad ueſana palatia ditis
Contendunt, niſi & his pœnituiſſe ſat eſt.
Diſcite uos igitur reliqui de hac gente Papiſtæ,
Diſcite ſupremo concinuiſſe Deo.

Discite dum placidæ ducatis stamina uitæ,
Indigni sceleris pœnituisse citò.
Ecce Bucerus adest, facilis uenit ecce Bucerus,
Flectite, nam Christo pœnituisse sat est.

In eundem Thomæ Latoni.

Non desistis adhuc laceratam tollere cristam
Gens toties multis exuperata modis?
Nunc desiste tamen, nunc herbam porrige tandem:
Cedere fac discas qui superare nequis.
Quæ tibi spes superest? agimus nos ecce triumphum:
Et fruimur præda quæ tua nuper erat.
Redditus est nobis, olim priuatus honore
Fœnore cum multo quem perijsse putas.
Optima pars eius iamdudum sydera uicit:
Ethera iamdudum nempe Bucerus habet.
Magna suæq; capit uirtutis præmia magnæ,
Præmia, quæ nullo sunt peritura die.
Nulla dies abolere potest, mihi crede, Buceri
Famam, quæ uiuet semper in ore uirûm.
Nulli nunc hostes, ignis, nec funera terrent,
Fulmina nullius uel maledicta timet.
Et quæ defuncto superest, hæc uiua per orbem
Fama uolat nullis interitura malis.

In eundem Thomæ Hatcheri.

Germa-

Germanis Martine tuis, est nota Britannis,
Omni nota solo fama Bucere tua.
Te tua magnificis Germania laudibus effert,
His dedit, & nunc dat terra Britanna pares.
Omni nota solo, tua scripta Bucere leguntur,
Quæ prohibent Dominum morte perire suum.

In eundem Richardi Bridgualteri.

O Deus omnipotens animis lux unica nostris,
Magne Deus miseris una relicta salus:
Qui mare, qui terras, liquidi qui sydera cœli,
Struxisti proprio numine, sancte Deus,
Qui tua supplicibus uenerantes nomina uotis
Audis æetherea, mitis, ab arce Poli:
Supplicis exaudi te uerba precantia serui,
Aspice (summe Pater) quas tibi fundo preces.
Aspice nos homines, quos obruit undiq; pestis:
Pestis atrox Satanæ, pestis acerba nimis.
Aspice nos homines, quos diræ flamma gehennæ,
Quos manet æterni numinis ira tui.
Parce precor miseris errorum mole grauatis:
Et scelerum pressis pondere parce precor.
Da diuina Pater miseræ solatia menti,
Et da conspectum posse uidere tuum.
O concede tui cœlestia lumina uerbi
Cernere, da Christi lumina uera tui.

Nam sa-

Nam satis in nostrum distenta est dextra cruorem,
Si tibi sic uisum est, sæuijt ira satis.
Quæ nisi iam cesset, nisi te reuocante quiescat,
Quis quæso ex tanta clade superstes erit?
Nempe salutiferi priuant nos lumine uerbi,
Et ruit in damnum nescia turba suum.
Deindè diabolicas pro uera luce tenebras,
Proq; cibo infundunt mille uenena modis.
Dant lapidem pro pane, tuo pro deniq; Christo,
Vnica qui nobis est uia, uita, salus,
Dant nobis asinum Babylonica sceptra ferentem,
Qui claues celsi iactat habere Poli.
Dant monstrum, ô cunctis quàm formidabile terris,
Qui septena suo cornua fronte gerit.
Dantq; meretricem Barionæ sede superbam
Quæ Satanæ cyathis inficit omne genus.
Quæ truncos, altare, crucem, sua numina, Missam,
Non dubitat Christi præposuisse neci.
Deniq; dant, toto qui regnat in orbe, Tyrannum,
Nulla cui dominum regna tulere parem.
Qui sua regna armis defendit ab hoste cruentis,
Iuraq; flammiferis sanguinolenta rogis.
Qui Christi seruos Stygias detrudit ad undas,
Sic etenim meritos nescia turba putat.
Iste Prophetarum, Deus ô supreme, tuorum
Corpora sulphureis dat laceranda focis.

Nec sa-

Nec satis est uiuos flammis ußisse nefandis:
Sed furit in truncos fulmine Papa suo.
Nam quod post quinos orbatum sensibus annos,
Manserat effœta putre cadauer humo,
Ad flammas rapiunt (sic iussit curia Papæ)
Membra cremanda trahunt, diue Bucere, tua.
Ossa trahit rigidos nimium crudelis ad ignes
Papa feris natus, Papa leone satus.
O deforme genus serpentum, ô secula dura,
O nimis excelso monstra inimica Deo.
Corpus quid meruit flamma crudeliter ustum?
An quia corpus erat, diue Bucere, tuum?
Siccine Papa soles sanctorum membra uirorum
Vrere, queis durus parcere Turca solet?
Corpora concedit cæsorum inferre sepulchris
In mentes nostras Ethnicus arma ferens.
Papa tamen, famulis Christi sæuißimus hostis,
Sæuit in extinctas, non satiandus, oues.
Sic lupus iste uorax, ursus, leo, uipera, serpens,
Seducit populum, Christe supreme, tuum.
Sic terræ dominos, Satrapas, Regesq;, Ducesq;,
Subdidit ad uiles hydra superba pedes.
Cæsareumq; caput pedibus suppreßit auaris,
Subiecitq; suo colla tremenda iugo.
Se seruum uocitans, solus Rex, atq; monarcha
Vult esse, & Latia Cæsar in arce potens.

Papa cupit dici toto uenerabilis æuo,
  Alter & in terris expetit esse Deus.
Quid? uult esse Deus? uel fortè potentior illo,
  Quantumuis Satanas sit tibi, Papa, pater.
O monstrum, ô uasti teterrima bellua mundi,
  Qui Christi meritis detrahis ipse tibi.
Hæc ne supreme Deus cernis? sic cernis inultus?
  An tua sacrilegus Papa trophæa feret?
Huncine sanctorum patieris sanguine lætum
  Sæuire in populum semper (inulte) tuum?
Cum ferus incautum mactasset Cainus Abelem,
  Senserat admisso præmia digna suo.
Iesabel in sanctos nimium bacchata Prophetas,
  Occubuit canibus dilacerata suis.
Atq; tui Christi, domini (proh numina) nostri,
  Iusta in carnifices sæuijt ira satis.
Deniq; quæq; suum comitata est pœna tyrannum,
  Hiccine Romanus rabula liber erit?
Mortua Martini qui traxit membra Buceri
  Sæuus ad ardentes dilanianda focos,
Liber erit? non liber erit: nam iusta tonantis
  Ira manet iugulum Papa superbe tuum.
Sic pater omnipotens iustus, iudexq;, paterq;,
  Iudicio hunc, illum mitis amore colis.
Ignem nempè tuo compensas igne furentem
  Ensis & exhausti sanguinis ultor erit.

Deniq;

Deniq; quisq; sua merito iugulatur ab hasta,
Sic sunt magnifici facta stupenda Dei.
Nuper id expertus noster Vulcanius Heros
Sensit uindictam, Christe supreme, tuam.
Vltus enim Deus es crudeles fortiter hostes:
Qui crucianda dabant corpora nostra rogis.
Destructa est Babylon regalibus inclyta muris:
Et redit ad cineres Roma superba suos.
Extincta est proprijs meretrix infanda uenenis,
Flammifer atq; suo fulmine Papa perit.
Exulat è nostro minitans sua sulphura regno,
Libera Romano est Anglica terra iugo.
Ruptaq; sunt lætis Papalia iura triumphis
Hæc fecit magni dextera magna Dei.
Dextera magna Dei nostro perfusa cruore
Accessit nostris, sola medela, malis.
Restituit ueri cœlestia lumina uerbi,
Restituit Christi lumina uera sui.
Reddidit antiquo Buceri membra trophæo,
Mortua sulphureis membra cremata rogis.
Sed non membra dedit: Quis enim collegit adusta?
Sed quasi membra dedit (diue Bucere) tua.
Ossa quasi antiquo tua sunt illata sepulchro,
Et tanquam cineres continet urna tuos.
Ossa cremauit enim rigidissima flamma Papalis,
Et cineres rapidi præda Aquilonis erant.

Et tamen haud totum consumpsit flamma Bucerum,
Nec potuit talem perdere sola uirum.
Membra minutatim sed edebant mortua uermes,
Terra sinu extinctum dum premit arcta suo.
Sic tria syncerum capiunt elementa Bucerum,
Terra, & flamma uorax, æthereusq; locus.
Terra tegit carnem, terrenis uermibus escam,
Ossaq; sulphureis ignibus usta iacent.
Deniq; mens (totus qua constat parte Bucerus)
Viuit in Angelicis sanctificata choris.
Ergo Deus qui sceptra tenes sublimia cœli,
Sub cuius pedibus subdita terra iacet:
Da nobis animum penitus super omnia gratum,
Da sancti memores numinis esse tui.
Viuifica nobis ex uno mille Buceros,
Qui pascant agnos (optime Christe) tuos.

In eundem Guliel. Vuichani.

O uanas hominum mentes, ô pectora cæca,
Esse decet uafræ sic te Cantabria mentis,
Vt nostræ linquens ueteris præconia laudis,
Carminibus nigrum nunc detrudamur in orcum?
Siccine te sacrum decuit uiolare sepulchrum?
Et lacerum rigidos corpus demittere in ignes?
Peruigilis nostri merces hæc summa laboris?
Sic satis enixè diuina uolumina uatum

Lecta scholis quondam ferro, flammaq; rependis?
Ast moriens tua gemma uocor, Pastorq; fidelis
Diuini uerbi, puræ pia regula uitæ.
Frendere sed postquàm per regna Britannica cœpit
Turba Papistarum, rapidasq; accendere flammas,
In medijs lucet tum gemma Britannica flammis:
Tum nimis infœlix pastor, tum scismatis author,
Hæresiarcha uocor, curuataq; semita uitæ.
Nec solus plector, mecum sed putrida Pauli
Ossa traho Fagij flammæ tradenda uoraci.
Nec Cranmere pater, quæ te seruauit ab orco
In Christo syncera fides, seruauit ab igne.
Ridleium scriptura rogo dedit esse cremandum,
Siccine discipulis fas est nocuisse magistram?
Si quicquam annorum series ueneranda ualeret,
Te tutata esset canens, Latimere, senectus.
Ardua quem sanctæ delectet semita uitæ?
Bradfordo nocet esse pium, nocet esse fidelem
Diuini uerbi (uis heu insana) ministrum.
In natos teneram decet hæc insania matrem?
Crudelis mater, quæ (sacra ut pagina monstrat)
Mollia præteneri partiret membra puelli,
Terra sagittipotens, crudelis tu quoq; mater,
Exclamat sanguis numerosæ prolis adustæ.
Pastores mactasse iuuat sic, Anglia, sanctos?
Ah misera, illorum sancto te saguine pasces

Qui tibi diuini donarunt pabula uerbi?
Quænam ingrata magis, quænam magis inuida tellus?
Qui te per Christi fecerunt uiuere uerbum,
Qui tua cum Christi iunxerunt corpore membra,
Horum tu flammæ das membra cremanda uorari?
Hæccine damnosi sunt iussa cruenta Papatus?
Præ lachrymis nostra en tremulis uox faucibus hæret,
Et querulam impediunt suspiria crebra loquelam.
Anglia nunc tandem (quòd te resipiscere cerno
Et rursum amplecti lætißima nuncia Christi)
En, ne cæde rogo, ferro ne cæde Papali:
Fortiter at summo discas insistere Christo:
Nam fœlix quicunq; suis requiescit in ulmis.
Ille Deus, Ionam monstri qui duxit ab aluo,
Ille Papistarum confringet numine fastus:
Ille tibi auxilium, cum flammifer ingruet hostis
Adferet, ille tibi tribuet dextramq; fidemq;.
Anglia nunc igitur longis erroribus acta,
Te reducem fecisse Deum, persoluito grates.
Nunc etenim Patrem, terramq; polumq; regentem,
En tibi concessa est libertas uera precandi,
Flammea romulei restinxit spicula Papæ.
O Deus altitonans, mundi melioris origo,
Exaudi uoces ad te (Pater alme) precantum,
Ipse tuæ sis quæso uiæ fidißimus index,
Ne nos humanæ uitient fermenta loquelæ.

Sint

Sint procul à populo latij deliria Papæ.
Diuino sancti radiemur lumine uerbi:
Vt tua lux nostras abstergat clara tenebras,
Nostra tuis radijs sic intima corda calescant:
Vt perfecta tuæ noscamus fœdera legis.
Hec pater exaudi pro Christi nomine uota,
Omnia quem laudant omnes per secula gentes.

Eiusdem in eundem.

Laudem'ne? an lachrymem tua tristia fata, Bucere?
Nobis sunt sanè tristia, læta tibi.
Te nobis lachrymo, fœlix Bucere, reuulsum:
Gratulor annexum te tamen esse Deo.
Funus idem unius lætum est, & triste, Buceri,
Ipsa tamen maius gaudia pondus habent.
Non tibi, sed nobis moreris, Martine: beatus
Qui moritur mundo, uiuat ut ille Deo.
Fert bona syncera tua mors tibi præmia uitæ,
Vox magis at nobis præmia uiua tulit.
Fortunatus eras: nam ne mala nostra uideres,
Rupta prius uitæ fila fuere tuæ.
Est igitur lugere nefas tua fata Bucere,
Tendis enim ad summi tecta beata Dei.

Eiusdem in Paulum Fagium.

Dulcibus ut Christi Fagius requiescat in ulnis,
Sustulit è terris in sua tecta Deus,

Papa, quia ut sanctus superas migrauit ad oras,
In terris tumulo non dedit esse locum.
Flammea sed primam sequitur mors altera mortem,
Quodq; erat in terris, id datur omne rogis.
Morte sed ex gemina duplex en uita resurgit:
Altera dat terris, altera adesse Deo.
Mens agit in summis, licet usto corpore, cœlis,
Viuere nobiscum uiuida fama facit.
Esse quid hoc dicam? certè est mirabile dictu,
Interimunt unum, non duo fata, uirum.
Aspera nonnullis uitam mors abstulit una,
Nil Fagio mortis spicula bina nocent.
Sic sanctis Dominus medijs dat uiuere flammis:
Sic sancta iustus uiuet adusq; fide.

In eundem Rogeri Brounei.

Vna probum, reprobumq; manet mors certa sepulchro,
Nec referet posito funere præstet uter.
Hoc tamen intererit: reprobi post fata recedunt
Nomina uisceribus contumulata suis.
At cuiusq; probi remanent post funera laudes,
Et solidæ duro stant adamante magis.
Ille uel unius deletur pondere glebæ,
Nulla nocet gleba huic, nulla fauilla rogi.
Illum fama simul chara cum luce relinquit,
Fama probo, uitæ, lucis & instar erit.

O quàm

O quàm mille tulit Cantabria corpora lœtho,
Quorum posteritas nomina nulla tenet?
En, tulit illa duos tantummodo, nempe Bucerum,
Et Fagium, quorum uita quadrata fuit.
Quos nunc, ut nuper, subitæ data corpora morti,
Lugeat, in dubio est, laudet an illa magis.
Luget ut amissos, quales uix nostra tulerunt
Tempora, uix quales secla priora uiros.
Laudat ut eximios uitæ morumq; magistros,
Vt quos sana fides, relligioq; beat.
Non gemit exustos. O fortia pectora bello
En pugnam, cum sint puluis et ossa, mouent.
At uiuis, Bucere, ferunt: sum uera loquutus,
An tua cum Fagio cuncta cremata iacent?
Viuitis, & famæ uiuos uos fata reseruant,
Perpetuoq; iubent, his superesse modis.

In eundem Roberti Sparchi.

Quis furor hic? cur arma tibi tua suggerit ira,
Anglia? cur sæuas parturit ira minas?
Bilis cur doctos animos exulcerat atra?
Quis tibi succensas suggerit arma faces?
Insignes pietate uiros cur mittis in ignem?
Quidq; iuuat rapidis ossa cremare rogis?
Nil sentit, metuit nec uulnera dira, cadauer,
Omnis ab exangui corpore sensus abest.

Quis furit in manes? ne crudelißimus hostis:
  Abstinet occisis & lupus ipse feris.
Hostis defuncto parcit, fera bestia parcit,
  Nec fera defunctis, nec negat hostis humum.
Nos homines Christo nati, Christoq; dicati,
  Vincimus immanes, heu, feritate lupos.
Nostris tellurem, nostrisq; sepulchra negamus,
  Commissa ô utinam non grauiora forent.
Effodimus tumulos, laceramus mortua membra,
  Quam dedit extinctis terra, negamus humum.
Cætera erant tellus, uix nunc dura ossa manebant,
  Dura damus rapidis ossa uoranda focis.
Quæ Cantabrigiam tenuit dementia? quondam
  Altrix quæ studij, nunc inimica fuit.
Dæmone quo tantum facinus permota patrasti?
  Pectoribus doctis tantáne bilis inest?
Illos, qui de te quondam pars magna fuerunt,
  Quî istos defunctos dilaniare potes?
Exulat alma fides? sic sic ingrata rependis?
  Sic æqua es? meritis sors uenit ista bonis?
Offusas oculis tenebras ut pellere possent,
  Insererent natis semina uera tuis.
Hos nec iter longum uetuit, nec certa pericla,
  Nec metus immensi terruit oceani,
Tu uerò requiem fessis ingrata negasti,
  Hancine mercedem soluis iniqua tuis?

Nec sic

Nec sic immitis tandem deferbuit ira,
 Non capit hæc ullum dira libido modum.
Exuris libros, prohibes monumenta manere,
 Quæq; dabant lucem, luce carere iubes.
Quæ uos ô docti tenuit dementia? lucem
 Illatis tenebris quid prohibere iuuat?
Ex imis plebem tenebris emergere nunquam
 Vultis? dux cæco cæcus, uterq; cadit.
Quid dixi uultis? ualidis uos cogitis armis,
 Inuitos ferro cogitis, ense, focis:
Nostra queant nitidum ne cernere lumina solem,
 Qui nunc ostenso, lucet in orbe, die.
At ui quid tandem, sæua quid morte potestis?
 Ignem pro domino passus uterq; suo est.
Auxistis laudes, auxistis præmia, quantum
 Vobis & uestris debet uterq; focis?
Defunctis sobolem medio peperistis in igne,
 Fertilior damnis fit seges ista suis.
Cur effoßus eras Fagi? cur traditus igni?
 Cur euulsus eras sede, Bucere, tua?
Quòd Christum puro docuistis pectore, soli
 A uobis Domino quòd tribuatur honor.
Sacris scripturis animus quòd uester adhæsit,
 Quodq; iubebatis his adhibere fidem.
Quòd gratis fieri nos saluos sanguine Christi
 Asseritis, soli cui tribuenda salus:

Cui uia

Cui uita est omnis sanctorum accepta ferenda,
Cum non sit nostro parta labore salus.
Sola fides saluos nos reddit sanguine Christi,
Hoc quia contendis, membra (Bucere) cremant.
Pontificis nugas quoniam explosistis: & illud,
Deponi, ut deceat, tam graue posse iugum.
Syncere Christi quòd corpus cuiq; docetis
Sumendum uera saluificaq; fide.
Quòd nota lingua scribi sacra dicta iubetis,
Arcentes nullum ne sacra scripta legat.
Supremum Papæ quod non donatis honorem,
Qui solium primum, qui loca prima petit.
Hinc uos effoßi, uestra hinc uiduata sepulchro,
Hinc lacerant sæuis putrida membra rogis.
Sed uos fœlices & uita & morte fuistis,
Vtraq; uos seruos arguit esse Dei.
Eximias uestras laudes abolere uetustas,
Nulla nec illius Dæmonis ira potest.
Tollere conata est, sed frustra tollere tentat,
Numine filiolos auxiliante suos.
Ergo uester honor uiget, æternumq; uigebit,
Tempore nec tacito fama perire potest.
Excepti cœlo, uestigia uestra manebunt,
Donec erunt rutilo sydera fixa polo.

Im eundem Iacobi Coli.

Anglia, quæ quondam u era sub lege tenebas,
Lucis patronos, quo dominante furis?
Busta (quis hoc credat) consumpta putredine fæda
Vastis mandabas dilanianda rogis.
Nec requiescis eô, donec monumenta reclament,
Oppreßis natis, dira nouerca, tuis.
Hic mercedis honos, operisue hæc meta fidelis,
Qui tibi, sic meritæ, seruiet ullus erit?
Gemma tibi quondam fuit ô Cantabria tellus,
Bucerus, diues munere quippe Dei.
Donec uita fuit; stabantq; in corpore uires,
Florebat gentis spesq; decusq; tuæ.
Hunc docti coluere patres, sanctusq; senatus,
Authorem studijs præposuere suis.
O dilecte Deo diuino numine plene,
O fons iustitiæ, relligionis amor.
Fœlicem cursu cœperunt te astra peracto,
Teq; Dei sanctis cœlica turba beat.
Illic parta quies, ibi curæ finis acerbæ,
Celsaq; perpetuis perstrepit æthra metris.

In eundem Thomę Teyzi.

Gens inimica Deo, furijs agitata, Buceri
Condita terrena membra cremauit, humo.
Fama per immensum cuius uolitauerat orbem,
Cui syncera fides, relligioq; fuit.

Huius

Huius ego eximium (quoniam iam fama reuixit)
Carmine quo poßim, nomen ad astra feram.
Vir fuit haud dubie iustus, diuinitus atq;
Edoctus, populo dogmata sacra dedit.
Non hominum ritus, non ille insomnia Papæ,
Sed docuit Christi dicta sacrata sequi.
Plaudite uos igitur, quorum est uelut omnia Christus,
Quòd non Buceri fama sepulta iacet.

In eundem Rubini Shyruoodi.

I *to lætiferis gaudens plebs cincta coronis,*
N *ullo lætitiam depositura die.*
L *audibus ad cœlos sacrum deferto Bucerum,*
A *ëre sydereum uox petat acta Polum.*
V *irtus florescit, toto lux orbe renidet,*
D *at Christus populis aurea secla suis.*
E *n quondam oppreßi probitas uiget alma Buceri,*
M *artini claret fama decusq; tui.*
B *uceri suprema ferit laus culmina cœli,*
V *ndiq; Martini laus generosa sonat.*
C *rudelis tandem est rabies compressa ferarum,*
E *t minus est solito plebs onerata iugo:*
R *ectaq; nunc ratio populo ratione carenti*
I *nditur, & uerus relligionis amor.*
C *haram igitur Christo gemmam fidumq; ministrum*
A *mplexu foueas (terra Britanna) tuo.*

Respi=

R espice uirtutis fontem, riuumq; fluentem,
 M artinum toto corde (Britanne) tuo.
E xue sollicitæ demum suspiria mentis,
 N ec reddant solitos pectora mœsta sonos.
R espue tristitiam, mentis pete limen ouantis,
 V t uigeat solito gemma Britanna loco.
D ilue mœsticiam, uiget orbis gemma Bucerus,
 E xue tristitiam, gemmma Britanna uiget.

In eundem Nicolai Aylandi.

Ergò cadet prorsus Buceri gloria nostri?
 Atq; honor æthereos dignus adire Deos?
Doctrinæ eximium specimen morietur? & eius
 Gloria lethæis mersa peribit aquis?
Absit, & unda prius det flammas, flamma det undas,
 Et mutent cursum flumina curua suum.
Nam te sic pietas laudauit, gratia, uirtus,
 Laudarunt nomen cætera dona tuum.
Vt non ulla dies, non ulla abolere uetustas
 Poßit, & hoc nomen tollere ab orbe tuum.
Nam quò fama magis mundo perijsse uidetur,
 Hoc magis ad superos tollitur illa Deos.
Nec tibi dedecoris tantum tuus ignis inußit,
 Nec tibi tam uitio cesserat illa dies:
Ista dies quantum meriti tibi donat honoris,
 Quæ sonat in laudes carmine tota tuas.

Dignus

Dignus eras: cuius reliquis sic fama praeibat,
Vincitur ut claro nox tenebrosa die.
Publica res per te uiguit, doctrina refulsit,
Defensor uerae relligionis eras.
Ergo sepulturam potuit tibi turba negare?
Et potuit structis ossa cremare rogis?
Haeccine tantorum est merces Bucere laborum?
Haeccine sunt factis praemia digna tuis?
O duros homines, ô plusquàm ferrea corda,
O nimium plenas impietate feras.
At tibi defuncto nihil haec tormenta nocebant,
Nil rogus accensus, nil tibi structa pyra.
Nam tua fama uiget totum cantata per orbem,
Quò magis obsistunt, emicat illa magis.

In eundem Hugonis Blythi.

Excepit quondam patria tellure profectum
Anglica te gremio terra (Bucere) suo.
Teq; eadem tellus & amauit, & oderat olim.
Viuus eras hospes, mortuus hostis eras.
Nam simu lac fratris cesserunt regna sorori,
Illa negauit humum, quam dedit ille tibi.
Et clausum (horresco referens) aperire sepulchrum
Ausa est, & manes sollicitare tuos.
Vrite clamauit, crepitantibus urite flammis,
Inuisi nobis mortua membra senis.

Non

Non mors una uni satis est, mors altera uenit,
Mutat & in cinerem, quod fuit ante lutum.
O crudele scelus, quid in hospite Regia Princeps
Sæuis? quid sceleris putre cadauer habet?
Desine crudelis, manes turbare silentes,
Desine, nil meritò tale, nocere uiro.
Sed meliora Deus (Deus æquus) tempora misit,
Tempora dedecoris, tempora laudis habes.
Nam modò crudeles passus post funera flammas
Viuis, & hac uita nobile nomen habes.
Tu Bucere tua iam nunc uirtute beatus,
Sydera pro terris, regia tecta petis.
Cum pietate tua morum certauit honestas,
Et doctrina pijs moribus æqua fuit.
Doctrinæ tu lumen eras, uitæq; magister,
Tu, tu, uel nullus, uiuere dignus eras.
Tu Bucerus eras, quem uasti machina mundi
Laudat, quem saluum terra Britanna uelit.
Sole coloratos tua fama uagatur ad Indos,
Atq; tuum sentit Roma superba decus.
Deniq; nulla tuas nesciuit natio laudes,
Deniq; terra tuo nomine plena fuit.
Indeuitatis sed quod mors certa sagittis
Percutiens te, te non sinit esse super.
En pullas gerimus uestes, & corpora planctu
Tundimus, & lachrymis immaduere genæ.

En lachrymis omnes per mœsta cadentibus ora
Deflemus structos (fata secunda) rogos.
Sed breuis ut longum claudat sententia carmen,
Hæc uerba ex animo scripta putate meo.
Quicunq; ad nostros deflectunt lumina uersus,
Vnanimi dicant uoce, Bucere uale.

Eiusdem in Paulum Fagium.

Carmen absolui, meritumq; magnas,
Laudibus paruis cecini Bucerum:
Dumq; defessæ cupio Camænæ
Ponere finem.
Paulus exactos Fagius labores
Inijcit, Paulus Fagius remotis
Partibus terræ pietate notus,
Atq; superstes.
Quem, quòd immites rapuere Parcæ,
Lugeat Pontus, lachrymetq; tellus,
Atq; tu semper tumidos profunde
Anglia planctus.

Abrahami Hartuuelli in eundem.

Interlocutores Academia, Bucerus.

Heu lachrymæ desunt oculis, & uerba palato,
Et iuuat abruptis exululare modis.
Acad. *Quid querar, heu, tanta serie calcata malorum,*
Vulnera, me miseram, non coitura dolent.
Sic'ne repentinis agitatur uita procellis?

Et ce-

Et celeri præceps cardine pulsa ruit?
Sic ne mihi miseræ duo pignora curia cœli
Inuidit? matri pignora chara suæ?
Me miseram, binæ prolis quæ funera uidi,
Fausta modò mater, nunc sine prole fleo.
Te mea dicta petunt (ô mors sæuißima rerum)
Quæ geris ultrici ferrea sceptra manu.
Tu patris & nati dulcißima fœdera rumpis;
Heu auidos nimium Styx habet ima deos.
Cur non maternis securus Paulus in ulnis
Vixit? in innocuos cur tua tela iacis?
Quis te turbo sinu nostro, quæ tela fugarunt
Bucere? amplexus digne subire meos.
En quem quæris adest: adsum charißima mater, **Buc.**
Adsum tristitiæ sola medela tuæ.
Vnde hæc, ô fili, macies & squallida tabes? **Acad.**
Vnde oro uultus pallida forma tui?
Vera hæc est facies? an ludis imagine uana?
Dic mihi, dic matri quem cupis? unde uenis?
Cœlica me uestris misit pulsata querelis **Buc.**
Turba, tuus lateat ne sine teste dolor.
Elysius colitur mihi campus, & atria cœli,
Semper ubi uerno flore superbit ager.
Sed tua quid iustam lacerant conuicia mortem?
Voce quid immuni fata cruenta uocas?
Quid mors ista ferat, quid fata nouißima nescis,
Quò magis occidis, me magis inde beas.

Tum cum uita fugit carnis compage soluta,
Tunc homo tunc primùm desinit esse miser.
Vita nihil nisi mors, mors est suauißima uita:
Mors hæc fit uitæ fons & origo meæ.
Quid talem defles genitrix pulcherrima mortem?
Illo, illo ex riuo cœlica uita fluit.
Acad. Verá ne quæ narras? quàm sint uerißima uellem?
Si quoq; sunt, rebus gratulor ipsa tuis.
Sed flet adhuc animus maiori saucius ictu:
Altius hoc mea mens uulnere uulnus habet.
Ferrea uos postquam rapuit sententia fati,
Morsq; oculos telo clausit iniqua suo.
Non tibi sacra fides, pietas non profuit illi,
Heu nocuit pietas, obfuit alma fides.
An non uestra fides olim sine labe refulsit?
Punita est flamma uindice uestra fides.
Quid pietate fuit toto testatius orbi?
Spectata est rapidis hæc tamen ipsa rogis.
Buc. Hic uirtutis honos? merces hæc digna labore?
Proh dolor, hæc pietas præmia sæpe tulit.
Quid pietas ultra? quid uirtus proderit ulli?
Quid'ue fides? ipsa est pœna reperta fide.
O cæcas hominum mentes, ô pectora dura,
O ætas centum digna subire neces.
Est aliqua ingratos homines taxare uoluptas,
Hæc ego de uobis gaudia sola feram.
Sed

Sed quorsum furor hic? quin risus capto solutos?
Factaq; festiuis insequor ista iocis?
Sic ne in defunctum decuit sæuire cadauer?
O ætas centum digna subire neces.
Sic pelle in uacua decuit lassare lupatos?
O ætas centum digna subire neces.
Sic fidei iusta mercedem lance rependis?
Profuit esse malos, & nocet esse pios?
Ast ego quin abeo? & funestas desero sedes?
Et repeto celeri cœlica regna pede?
Siste pedem fili: quid deseris oscula matris? Acad.
Hæc cape, quæ fido pectore uerba loquor.
Sæuo quid dicis populo? num dira precaris?
Dic mihi, quæ meritis præmia digna refers.
Non extincta solent incendia sumere uires,
Et mora dilatis maxima damna feret. Buc.
Absit ut infaustum mea uox pandatur in omen,
Fausta precor, meritis & meliora suis.
Istam ne foueas mater dulcißima curam,
Pectore (si quid inest) excidat ira tuo.
Nil mihi quæ rapido gestat sub pectore uulpes,
Nil liuor nocuit, nil malefida cohors.
Claresco inuidia, nil ergo turba bilinguis,
Nil liuor nocuit, nil malefida cohors.

In eundem Ioannis Forcetti.

Exue Musa situm longo sopita ueterno,
  Præceps in lucem ne sine luce ruas.
Erige truncatum mortis feritate Bucerum,
  Vt fluat è latebris gloria multa suis.
Vt sua funesto laus suffocata tumultu,
  Omine iam tollat dexteriore caput.
O igitur dubias, Academia, tolle querelas,
  Et sensu tanti uiuat imago senis.
Aurea consilijs armatum Roma Catonem
  Extulit: & sanctos Attica turba Patres.
Nostra situ torpens Academia muta quiescet?
  Defraudans tantum nobilitate senem.
Vnanimes potius distendite carmine neruos:
  Venit enim studio fama, laboris apex.
Ille feros uiuus toties exterruit hostes,
  Ille tulit ueri dogmata sacra Dei.
Ille cruoribibos uicit grauitate tyrannos
  Bucerus, patriæ gloria tanta suæ.
Hic Christi pauit uerbi dulcedine sponsam,
  Præbuit & sacro pura alimenta gregi.
Romæ sacrilegos damnans acerrimus usus,
  Sustulit è putri balsama grata fimo.
Incipit inuisus Latio hinc primum esse tyranno,
  Illiusq; hæc est unica causa mali.
Huius, ego expediam paucis, tristißima fata,
  Tristia non illi, sed magè Papa tibi.

Horrescit

Horrescit, quamuis animus luctuq; refugit,
Corporis & quamuis undiq; uena fricat.
Ossa senis chari lacero nudata sepulchro,
More cruentorum diripuere canum.
Quæ sopita diu terræ iacuere theatro,
Turpiter accensis imposuere focis.
O hominum rabies cæcis fuscata tenebris,
O pietas tantis non benefida uiris.
Vos tamen, ô, longa mulctati strage, Britanni,
Nuncia grati animi fundite uerba Deo.
Quòd postliminio reuirescens fama Buceri
Ipsius unà etiam nunc pia scripta ferat.

In eundem Ioannis Neudegati.

Siue Martinum celebres Bucerum,
Siue quis, Paulum Fagium decoris
Laudibus tollat super alta celsi
Sydera cœli.
Fertilis nunquam deerit Camœna,
Diues & nunquam deerit canenti
Vena, Martini, Fagijq; ueras
Carmine laudes.
Hic fuit uera pietate plenus,
Ille suffultus bonitate patris,
Vera prædixit populo Britanno
Dogmata Christi.

Hic lupum à sacris stabulis abarcens,
Legit errantes ouium cateruas,
Et greges sparsos reuocans, ouile
Duxit in unum.
Alter, ignaros homines docebat.
Et uiam ad cœli patefecit oras,
Quòq; feralis fugiatur imæ
Pœna gehennæ.
Hos tamen Papæ famuli nefandi,
Qui sacrum semper sitiunt cruorem,
Sicut infandos homines canino
Dente remordent.
Dente, quid dixi, lacerant canino?
Immò, cum corpus foret in sepulchro,
Et lapis grandis tegeret facundi
Ossa Buceri.
Diruunt sacrum tumulum, suoq;
Mortuum corpus spoliant sepulchro,
Putridum, nec non rigidis cadauer
Ignibus urunt.
O scelus dirum, facinus nefandum,
Gentis ô sæuæ rabies cruenta,
O uirûm nunquam satiata sancto
Turba cruore
Non fuit talis furibundus Hector,
Non fuit talis Phalaris tyrannus,

Non

Non fuit talis phrygium superbus
Pyrrhus in hostem.
Hostium semper cineri pepercit
Præpotens Hector, tumulo sacrato,
Nec negat Pyrrhus Priamo profundæ
Viscera terræ.
Sed dolor finem iubet hisce rebus
Ponere infandis: igitur silebo.
Attamen finem uideas oportet
Lector eorum.
Nam Deus summo aspiciens Olympo,
Sortis humanæ miseratus, illos
Exuit regno, meritosq; maius
Carcere clausit.
Ergo lætari poterunt Britanni,
Et Deo laudes resonare dignas,
Pro pia nobis bene restituta
Relligione.

In eundem Ioan. Cramptoni.

Aspera diuinum rapuerunt fata Bucerum,
Fama tamen celebris non peritura uiget.
Splendida quippè fuit patriæ lucerna Britannæ,
Et docuit populum dogmata sacra Dei.
Fagius alter erat ueræ pietatis alumnus,
Cuius in æternum uiuida fama uiget.

Nostra igitur resonent illorum carmina laudes:
Quippe duces ueræ relligionis erant.

In Buc. restitutũ Rich. Kechini.

Morte fera raptis quondam fuit ignis honori,
Nunc celebris famæ damna uerenda trahit.
Quæ tua sensisset si sensus urna tulisset
Non Bucere tuus corpore maior honos.
Corpus iners sensus rabidos sentire dolores
Qui potuit? gelidæ mortis ut umbra silens.
Mens egressa foras, lustrum simul ante peregit
Cum dijs cum superis, quàm rogus ossa uorat.
Spectate ô superi mala quo dementia traxit
Vesanum genus hoc dæmonis igne furens.
Est animus tutò, sine sensu corpus, in illum
Planè iuris habet cœca libido nihil.
Sed si quid potuit, fragilis tua senserat urna
Vrnula quæ flammas pertulit una tuas:
Ignari faciunt, quæ nos quoq; fecimus ipsi
Ardua Bucerus totus ad astra uolet.
In cinerem corpus redigunt, celeresq; fauillas,
Quæ in cœlum recta corripuere uiam.
Ignea uis auida est, & corpora putrida sursum
Euocat, ad uolucrem membra pudica animam.
Hoc signi dederant inimici chare salutis
O Martine tuæ, sed pia uita magis.

Hecto-

Hectora raptabat Pelides sanguinolentus,
Curru quadriiugo nec fauet Andromachæ.
Quid minus atroces fuerant quàm durus Achilles?
Corpora cum stygio muta furore cremant.
Quin etiam flammis acribus fera bella minantur,
At quibus? infandum, Clotho caueto tibi.
Namq; isti ingeminant excussa nare furores,
Militibusq; tuis bella cruenta parant.
Zoilus hic gelidas cum debacchatur in umbras,
Ecquid erit stabilis styx (Rhadamante) tua?
Hunc sibi proponit sphingem quem sanguine cassum
Nouit, & impuro carmine rodit eum.
Vtq; aliquid grauius faciat, facit Herculis hydram
Buceri manes, bella trophæa parans.
Sic misera scabie pellem rosisse caninam,
Sic didicit linguam contaminare bonam.
Sic malè conuitijs sæuit, laceratq; magistrum
Inuersis studijs impia turba suum.
Proq; salutari suasu conspergit aceto
Lurida perfundens lingua aconita fera.
Turpe est naturæ reuerendæ inuertere iura,
Proq; pijs monitis probra nefanda iaci.
Sed cæci glires titubant in relligione,
Cùm facibus firmant relligionis opes.
Si te ergo exacues in causa relligionis
Viuos allatres, parcius ure lares.

Mortuus

Mortuus haud mordet, cur hunc insane laceßis?
Atq; lares iugulas quos habet alta quies.
Iusta sepulturæ, tibi nos celebrauimus, isti,
Irrita fecerunt, inscia turba Dei.
Vt præfatus honor, sic molliter ossa cubarent
Optatum est: uotis sors inimica fuit.
Attamen ut dedimus tibi nos, Bucere colende,
Sic damus, & dabimus patria iura patri.
Nam mox ut uentis ualidis fortuna recurrit,
Ecce tuis meritis musica serta damus.
Et te clamamus fœlicem, teq; beatum,
Quem patribus sanctis annumerare licet.
Sic lex, sic uates, sic psalmographus uoluere,
Sic Deus iuuitat sanctificare pios.
Quis fuit inuentus munerosa in prole tuorum
Papa pater, quem non uicerat iste pater?
Dic mihi si poteris, quoties reuocabat alumnos
Ille tuos, pugnam cum renuere sequi:
Horrifer ut nubes Boreas, ut clarus Apollo
Mane fugat tenebras exoriente die:
Sic tu terrebas, & uiua uoce fugabas
Magnanimos tibi quos opposuere duces.
Sanguine ut hircino fregisti adamantina corda,
Sic uirtute Dei corda superba uirûm.
At uelut inuicti pugiles quàm sæpe triumphant,
Et iactant solos se didicisse satis.

Vnum

Vnum ſemper agunt, in uulgus ſpargere uoces
Laudis amatores nocte dieq; ſtudent:
Scilicet ut rerum doctrinarumq; bonarum
Summa reducatur, quo cupiere modo.
Ardua doctrinæ tetigiſſeq; culmina fingunt
Stipes, iners, caudex: Vandalus atq; Geta.
Nonne omnes præ ſe contemnunt ualde odioſe?
Sit quaſi nemo alius doctus in orbe ſatis.
Sunt fare, ſunt flammis agiles (mihi crede) laniſtæ,
Magnanimi ferro, faſce furente, fame.
Sed quàm docti ſint diuina uolumina uobis
Teſtentur ſenſim, quæ bene lecta monent.
Tantum deſiſtant maledicere, tollere criſtas,
Faſtidire alios, dicere uera uelint.
Namq; hunc Bucerum non ſola Britannia luget,
Anglia non huius dogmata ſola colit.
Florentes populi Reges, Regumq; miniſtri
Excipiunt ulnis & uenerantur opes.
Conatus auxere pares, bonus ille Melanthon,
Caluinus, Martyr. Muſculus, innumeri.
Quid referam plures, quos tempora priſca tulere:
Qui Chriſtum pura relligione colunt.
Nec nouus iſte chorus, uolitans ut ſeminat error,
Finibus aut medijs diſcrepuere uijs.
Nam ſacra conſenſu magno, ſtudioq; frequenti
Promulgant ſacris, hymnidiciſq; libris.

Et tamen

Et tamen in cunctis quibus est pia gloria Christi,
Sanum iudicium perpetuumq; tenent.
Ergo uerecundè consensus tam uenerandos
Nunquam rescindes. Dum iuga montis aper &c.

In Bucerum restitutum Henrici Vvrighti.

Qui modò deflebam sublatum morte Bucerum,
Et præceptorem lachrymis comitabar euntem,
(Scilicet ignorans quantum mors illa malorum
Tunc premeret, quantumq; boni, tristissima quamuis
Ferret,) post didici superis miserantibus illum
Cladibus ereptum, quas iam tum fundere in orbem
Ingratum, & miseros Anglos diuina parabat
Dextera: quarum & adhuc quoniam uestigia paßim
Extant, & memori nequeunt excedere mente,
Narrando nolim uulnus refricare sopitum.
Vnum immane scelus, stolida impietate nefandum,
Quo Papæ pecudes cum laruis pugnam ineuntes
Martini manes uiolarunt ossa uerenda
Effosso tumulo, mandantes ignibus: unum
Hoc refero inuitus. nam quæ uesania postquam
Nec uiuo poterant obsistere, nec pia scripta
Quæ uiuunt & adhuc rationum uellere punctis,
Grassari in cineres? Sed sic est cæca tyrannis,
Sic furit impietas. Martinus uiuit in astris,

Et cœlo fruitur, quò iam non fulmina Papæ,
Non ignes penetrant, rumpantur ut ilia Papæ.
Viuit & in terris. nam quas Academia pridem
Bis ingrata notas audebat inurere famæ,
Sanior induxit, facti ueniamq; precatur.)(

De obitu, fortuna ac restitutione D. Matt. *Buceri, Carmen Rodolphi Scymeri.*

Postquam Bucerus Christum patefecerat orbi,
Et procul in populos sparserat ore pio:
Postquam Romanum iam debellauerat hostem,
Atq; Antichristi dogmata diluerat:
En pater omnipotens Bucerum accersit ab alto,
Aduocat, & summum mandat obire diem.
Præcipit è uiuis superas euadere ad auras,
Inter cœlicolas sede locandus erat.
Anglia flet meritò, meritò Germania fleuit:
Ingens namq; decus, gloria magna cadit.
Anglia maiorem Bucero non tulit unquam,
Nunquam maiorem fouerat illa uirum.
Sustulit & plures quamuis Germania doctos,
At non maiorem sustulit illa uirum.
Doctior an melior uix est ut noscere poßis,
Non plus doctrina quam pietate ualet.
Quemq; iuuat summas Bucero dicere laudes,
Nec semel aut iterum sit cecinisse satis.

Ducitur

Ducitur in templum magna comitante caterua,
Doctorumq; chorus flebilis insequitur.
Funduntur q; preces, soluuntur iusta piorum:
Ingenti fletu conditur in tumulo.
Carmina sparguntur uolitantq; per æthera Musæ,
Omnes mors mœstos iußit inire modos.
Omnes collachrymant, plangunt iuuenesq; senesq;
Omnes Bucerum uirq; puerq; cupit.
Hæc igitur tandem sententia hominumq; Deumq;
Bucerus summos dignus adire Deos.
Interea subitò succedunt plena periclis
Tempora, (me miserum) tempora plena malis.
Turba Antichristi furit, atq; profana per orbem
Sæuit in immensum, dogmata falsa ferens.
Turpia pro ueris subeunt mendacia dictis,
Nec ueneranda Dei uerba tenere licet.
Protruditq; pijs, mendax, commenta uirorum,
Proq; Dei uerbis somnia uana docet.
Hæc pro more suo flammis ferroq; tuetur,
Exilioq; pios, exitioq; premit.
Non satis est uiuos totum uexasse per orbem,
In tua sed nimium mortua membra ruunt.
Corpora sanctorum & defossa cadauera terris
Exerit in flammas, torret & igne graui.
Nec iam terra satis furiunt in omina Diuum,
Iudiciumq; tuum non metuere Deus.

Sed tentare nefas, olim ut cepere Gigantes
Regnum captantes, Imperiumq; Iouis.
Atq; ut deuicto leges imponere cœlo
Possent, nituntur scandere celsa poli.
Sic uetus hic hostis cunctos ad prælia diuos
Prouocat, in cœlum cominus arma mouens.
Increpat ore Deum, *pestis: dextraq; coruscam*
Intentans flammam, fulmina dira iacit.
Infestasq; pios iterum detrudere cœlo,
Aestuat, & sanctos turpiter hostis agit.
Hinc quoq; Bucerum *malè deturbauit iniquus,*
E *cœlo sanctum detrahit ille uirum.*
Defossum terris quamuis corpusq; sepultum est
Extrahitur, tumulis effoditurq; suis.
Iudiciumq; nouum Diuo parat impius hostis,
In ius post mortem perfida turba uocat.
Hæreseosq; reum peragunt, & crimina multa
Obijciunt surdo, congeminantq; uiro.
Mortuus ècce pater flammis dānatur iniquis,
Flammis Buceri *mortua membra cadunt.*
Insultant uasto tumidi clamore Gigantes,
Atq; animos tollunt in tua membra Deus.
Infestiq; ruunt, nos nunquam affligere cessant,
Et nostra quotidie, tela cruenta parant:
Iudiciumq; tuum spernunt, & in impietate superbi
Contemnunt summi numina sancta Dei.

Sed pater omnipotens rerum cui ſumma poteſtas,
Semper in extremis nouit adeſſe malis
Et iam ſubridens proſpexit ab æthere ſummo,
Fraudes atq; dolos uidit, & inſidias.
Vidit & humano madefactam ſanguine terram,
Sanguine, quem ſparſit ſanguinolenta manus:
Viderat & paßim protecta cadauera campis,
Corpora nam ferro fuſa iacere ſinunt.
Reſpicit omnipotens miſeros, meminitq; piorum,
Nec peſſum prorſus cladibus ire ſinit.
Defenditq; ſuos tandem, cauſamq; tuetur,
Præſtat opem miſeris, porrigit atq; manus.
Eiecti redeunt, coit & pia turba bonorum,
In patrias ſedes uſq; redire iuuat.
Reddita pax miſeris, redierunt tempora læta.
Alma fides terris, relligioq; redit.
Accerſitq; patres, cauſas cognoſcere iußit:
Et quæ damna ſuis turba maligna dedit.
Et malè tractatam Buceri expendere cauſam:
Cauſaq; flammarum quærere quæ fuerat.
Conueniunt igitur, Sanctorum turba coiuit,
Excutiuntq; diu ſingula facta uiri.
Nil reperire queunt, niſi quòd tua dogmata Chriſte
Doctrinamq; piam fortiter edocuit.
Nil niſi quòd Chriſtum ſolum docuiſſet ubiq;,
Quodq; pio ſemper Chriſtus in ore fuit.

Vixerat & Christo, Christus spes una salutis,
Quòd semper Christus uitaq; morsq; fuit.
Nunc igitur sanctiq; patres, sanctusq; senatus
Immutare parant impia iudicia.
Impia iura terunt, leges & sacra rescindunt,
Funditus extinguunt perfida concilia:
Restituunt coelo, quod te donante recepit,
Rursum coelesti sede locare student.
Irrita sic faciunt decreta iniusta malorum:
Consultò reddunt irrita iudicia.
Pontificum sic sancta fides pietasq; bonorum
Bucero sancto pristina iura dabant.
Quapropter cantate Deo mea carmina laudes,
Carmina uictori dic mea musa uiro.
Carmina Bucero iuuat hæc cecinisse beato,
Carmina iam sancto condere grata iuuat.
O utinam possem meritas tibi dicere laudes,
Atq; utinam tanto dicere digna uiro.

PIO AC ERVDITO VIRO DN. CONRADO HVBERTO, MINISTRO uerbi Dei fidelissimo. S. D.


ITERAS QVAS AD ME xv. die Martij, charissime in Christo frater dedisti, curauit Gulielmus Vvittingamus, qui penes nos aliquot diebus fuit, mihi reddi fideliter. Is uerò propter sua negotia non potuit ad nos uenire: sed Londini substitit. quod (si dicere debeam ut res est) non mediocriter ægrè fero: non tantum quòd illius præsentia & conuersatione destituar, quæ non minus pia est, quàm iucunda: sed quia de rebus uestris quomodo habeât nil adhuc intelligere potui. Quàm uerò de nostra Republica, Ecclesia & Schola Argentinensi, deq; omnibus germanis Euangelicis, audiendi sim cupidus, modo non dicam: quoniam & tu fortasse uix crederes, & ego prorsus non possem exponere. Ista itaq; de causa præcipuè adductus, cum magno desiderio cupio redire Oxonium. Interea de humanitate illi abs te exhibita, cum eam (ut certo scio) mei gratia bona ex parte præstiteris, maximas ago gratias. De uxore autem mea contigerunt

gerũt adeò lugubria et tristia, ut ea scribere mihi sit renouatio doloris, & (quę tua in me charitas est) ea cognoscere tibi dolorem afferent. Cùm diu quartana febri, atq; illa uehementi & duplici, diutius afflictata esset, ad Christum migrauit: eiq; Deus tantam fidem, pietatem, fortitudinem atq; constantiam dedit in confessione ueritatis, usq; ad extremam horam, ut omnibus astantibus miraculo quodammodo fuerit. Ego uerò, tametsi eius fœlicitatem ipsi gratulor, me tamen hac ætate sic inopinatò relictum ab ea, non possum non uehementer dolere. Illa sanè propter charitatem, quam ergà pauperes magnam semper exhibuit, omnibus fermè ciuibus non uulgare sui reliquit desiderium: mihi uerò (ut magis indies sentio) desolationem uix tolerabilem. Atq; id inter cætera mihi fuit acerbius, quòd quatriduo ante obitũ eius ipse febri tam acuta & uehementi laborare cœpi, ut ei postrema officia præstare non ualuerim. Decimaquinta Februarij obdormiuit in Domino: ipse tamen diu postea morbò sum diuexatus. nunc tandem gratiá Dei

ualeo, quantum dimidiato licet. Quod ideo ad te scribo, ut mihi tuis precibus per Christum solidam consolationem impetres.

Remoram interpositam esse, quo minus D. Buceri patris nostri monimenta, ut constitutum erat, excudantur, moleste fero, & multò magis, quòd acciderit obitu duorum talium uirorum (Dryandri & Scœlij) quorum utrumque dum uiueret, synceriter in Christo amauit. Sed Deus, qui & uitæ atque mortis est arbiter, qui sic fieri uoluit, nequaquam accusandus est: uerùm orandus potius, ut his quos nobis libuit subtrahere, uicarios qui non sint eis deteriores, dignetur pro sua misericordia substituere. De scriptis D. Buceri plura non habeo quæ scribam, quàm tibi hactenus significarim: ad regias quippè manus, ut nosti, peruenerunt: unde non est facilè, si quid ibi fuerit (quod ignoro) uel scite uel recuperare. Liber ille de regno Christi non est planè alius, nisi is, de quo Scœlium tibi renunciasse scribis. Quæ uerò de usuris hic reliquit, non multa sunt, et potius ad concertationem perti-

pertinet, quam aduersus quendam sciolum coactus est subire, quàm aliquid noui habeant, præter ea, quæ in excusis eius Commentarijs luculenter habentur. Et tamen qualiacunq; sint, cum opus habueritis, pollicitus est R. D. Cantuariensis se daturum. Vale in Domino, & me ut facis, in eodem ama: neq; interdum pigeat de uestris rebus ad me scribere. Salutari meo nomine cupio Dn. Bathodium, & omnes nostros symmystas, pręcęteris autem uxorem tuam. Oxonij 22. April. Anno 1553.

Tuus ex animo
Petrus Martyr.

HISTORIA DE EXHVMATIONE CATHARINAE NVPER VXORIS DOCTISsimi Theologi D. Petri Martyris, ac eiusdem ad honestam sepulturam restitutione Oxonij facta iij. Idus Ianuarij.

ANNO M. D. LXI.

IACOBVS CALFHIL-
lus Edmundo Grindallo, Episcopo
Londinensi dignissimo, salu-
tem in Domino sem-
piternam.



LITERIS, QVAS AD NOS cum mandato dedistis, uariè affecti sumus. Non enim adeò iucundum fuit, (conuersis diuina bonitate rebus) in pia causa non malam operam posuisse: quàm molestum, & prioris temporis iniquitatem uidisse, & factorum omnium atrocitatem, memoria nostra repetisse. Quis enim est, qui piorum illa tempestate graues, & non ferendas iniurias, moderatè ferat? Quis nō ad ipsam recordationem illius tyrannicæ potestatis exhorreat? Certè cum illud Antichristi nostri sæuū intertregnum, & infœlicem nostræ reip. dominationem, animo & cogitatione complector, & si ueterem dolorem refrico, tamen & ad habendas Deo gratias impellor, & ad nos ipsos nunc demum uerè beatos prædicandos. Nam ut grauitas morbi facit, ut medicinam

magis

magis amemus: ita per amiſsionem uerbi diuini, miſerabile uulnus inflictum, facit, ut curationem multò chariorem habeamus. In eo igitur toti eſſe debemus, ut bonis potius præſentibus digni, quàm malis præteritis dolétes uideamur. Quocirca, ne obductam pijs animis cicatricem refricem, uniuerſa, quę toto ferè ſexennio omni cum diritate atq; immanitate facta ſunt, prętereo. Tantum hoc attingam, quod & à me perſcribi uis, & eſt nouiſsimè redintegratum.

POſtquam igitur Cardinalis Polus, ita, uti meruerat, è finibus patriæ eiectus, exteras nationes complures annos peragrauerat: regnante Maria, reginæ, Senatusq; conſenſu domum reuocatus eſt. Anno igitur Do. 1554. ſic redijt, ut nihil aliud Roma, quàm immanem illius ciuitatis crudelitatem, & inexplebilem hominum innocentium cruoris ſitim domum deportaſſe uideretur. Is in ſumma rerum poteſtate conſtitutus, certos quoſdam homines, partim ob religionis, partim ob morũ ſimilitudinem,

ſibi præcipuè charos & delectos Oxonium cum eo mandato miſit: ut pontificia iura, & diplomata, quæ regis Edoardi ſexti temporib. antiquata fuerant, reſtituerent, diligenterq́ inquirerent, ſi qui eſſent, qui pontificias cęremonias negligerent, & pro nihilo ducerent: ſi qui tales inuenirentur, apud quos uel leuiſsima huius rei ſuſpicio hæreret, omni cunctatione abiecta, primo quoq; tempore eijciendos curarent.

Veniunt cum imperio & poteſtate Brokus Glocestrienſis Epiſcopus, Nicolaus Ormonetus, quem uulgò Datarium appellabant, Robertus Morvvennus Collegij corporis Chriſti præſes: Henricus Colus, & Vvrytus Doctores Iuris ciuilis. Erat in Broko literatura non uulgaris, eloquentia non contemnenda ingenium acutum, morum facilitas ſatis amabilis, ſi illorum temporum iniquitas, & malorum hominum conſuetudo naturam eius non immutaſſent. Fuit in Ormoneto nihil notabile, præter arrogantiam intollerabilem, qua re tam mirificè excellebat, ut ne fingi quidem, aut

cogita-

cogitari quicquam posset arrogantius. Fuit Colus eruditione ad suam opinionem eximia, ad aliorum uerò mediocri, natura tam insigniter morosa: ut nihil mirum, si nec sacra biblia, quæ combusserat, nec Christi fautores, quos infestauerat, ei placere potuerint. Is nihil ægrius ferre potuit, quàm ut à quoquã uel ipse Cicero, uel Plato legeretur. Hoc cur fecerit planè nescimus, nisi ideo fortassis, quòd ingenioso illo suo paradoxo, (*Inscitiam & ignorantiam rerum, ueræ pietatis & religionis matrem esse*) nimium delectaretur. Fuit Morvvennus satis annosus pater, & parcus senex, ad rem tuendam paterfamilias bonus, ad doctrinæ & religionis controuersias uindicãdas iudex parũ aptus, acerrimus tamen uetustatis suæ defensor. Fuerunt, & sunt in Vvrito multa naturæ, & doctrinæ ornamenta: nec in illo homine quicquam desideres præter constantiam, quæ cum bonos omnes maximè decet, tum pastores præcipuè, quorum est, stabilem & certam, non errantem & uagantem de Religione habere sententiam.

Hi

Hi postquàm satis diu pro libidine in complures fuerant perbacchati, & infinitum penè Bibliorum numerum, aliorumq; librorum Euangelij doctrinę sensum apertè & salutariter explicantium, in unum publicum locum apud forum conuectum, cõcremauerant: eò tandem insaniæ deuenerunt, ut non in uiuos solum, sed in mortuos etiam & sepultos, crudelitatis uirus euomerent.

Fuerat Oxonij Edoardi temporibus, Petrus Martyr Vermilius Florentinus, Regius Theologiæ professor, uir ea docendi elegantia, disputandi subtilitate, comitate morum, totius deniq; uitæ innocentia: ut ingenio, doctrina, pietate complures ad Christi ouile aggregauerit, qui paulò antè in pontificio luto uolutantes à ueritate aberrauerant. Huius uxor Deum in primis timens, domi, forisq;, cùm æqualibus sobriè, modesteq; uiuens, Anno M.D.LII. uitam cum morte cõmutauit: maximo certè hominum egentium dolore, quorum paupertatem facultatibus suis semper munificè subleuauerat. Quæ quàm pia mulier fuerit, quàm

quàm chara bonis omnibus, mœrore fu neris indicatum est.

Hanc illi suspicantes eadem religio- ne, qua uir, imbutam fuisse: huius rei ueri tatem elicere cupientes, singulos quibus- cum uel Petro, uel uxori familiaritatem aliquam intercessisse existimabant, co- ram se sisti iusserunt: ut si quid tale com- perissent, non aliter quàm ornatissimi Buceri corpori Cantabrigiæ fecerant, hu ius quoq; defunctæ corpus Oxonij con- cremarent. Adducuntur omnes: addu- cti iureiurando obligantur, ut nihil simu lent, aut occultent earum rerum de qui- bus interrogentur. De illius religione ro- gati, omnes ad unum responderunt, ob linguæ, qua utebatur, peregrinitatem se quidem nescire quamnàm religionem profiteretur.

Itaq; spe sua frustrati, quòd nullis illam testibus hęreseos cõuictam secundę mor ti (qui papistarum est furor) subijcere po- tuerint: ad Cardinalem reuertuntur, re- ferunt quid egerint, id est, quàm impu- denter se gesserint, quàm multos è colle gijs indicta causa detruserint, quàm sce-

leratè sacrosancta Biblia conbusserint, denicq quā diligenter omnia de Martyris uxore perquisierint: nihil tamē reperisse, cur ex iure corpus cremaretur. Cardinalis tamen ne sic quiescendum sibi existimans, aut ipsa dogmata, quæ Petrus aliquando docuerat, satis unquam irrita facta conijciens, nisi demortua uxoris ossa ijsdem flammis absumerentur, quibus ipsum uirum maiore multò cum uoluptate flagrantem aspexisset: interiecto aliquo tēporis inueruallo, literas ad Marshallum indignissimum Aedis Christi Decanum scribit, ea perscriptione: *Vt, quoniam iuxta corpus sanctißimæ Fridesuidæ iacebat corpus Catharinæ uxoris Petri Martyris, exhumari & iactari faciat.*

Homini magis idoneo res committi non potuit. Fuit enim uir & parum sobrius & furiosus: ita ut non uiuis solum, sed sepultis etiam, & in terræ gremio iacentibus ualde terribilis fuerit. Is ubi iam aduesperauerat, ab immanibus suis poculis aliquid temporis intermittens, baiulis et combibonibus suis comitatus, ad tumulum accedit, operas conuocari, instru-

menta

menta parari iubet. Vbi acies satis instructa sibi ad pugnam uidebatur: rem aggreditur, corpus effodit, effossum baiuli cuiusdam humeris imponit, impositum foras deferri, & in sterquilinio defodi iubet. Atque hæc fabula ab his impuris hominibus sic acta est illis quidem temporibus, quibus impietas insulam Angliæ sic occupauerat, ut quò quis turpior & crudelior esset, eò uir melior & sanctior haberetur.

At misericors pater, Deus opt. max. qui suos ad tempus solet affligere, ne si perpetuò rebus secundis, & ad uoluntatem fluentibus perfruerentur, sibi ipsi nimis præfidentes, diuinam bonitatem oblíuiscerentur (est enim ea humana infirmitas, ut neque res aduersas, neque secundas uix moderatè ferre queat) tandem assiduis piorum precibus cômotus, seruos suos è faucibus leonum, cædem & interitum quotidiè anhelantium, eripuit. Sacrosancti uerbi sui contemptores è dignitatis sede deturbauit, uas suum electum Elizabetham, castissimam & ornatissimam uirginem ad nostram Remp. piè, pruden-

prudenterq; gubernandam excitauit.

Hęc paucis diebus postquàm regnum inierat, uos, ô grauissimi & ornatissimi uiri Matthæe Cantuariensis Archiepisco pe, Edmunde Londinensis, Richarde Goodricie (interponatur si lubet, & alij) quos ego singulos honoris causa nomino, prudenter constituit, & eam dedit authoritatem, ut causas ad cultum religionemque Dei spectantes cognoscere tis, omniaq; pro uestra prudentia ageretis, quæ ad Euangelij lucem stabiliendam, & Remp. à pontificia fece liberandam pertinerent. Intelligentes igitur quàm indignis modis auidæ hæ & rapaces bestiæ, emortuum innocentis corpus tractassent: certis aliquot nostrum qui Oxonij sumus, reiq; ueritatẽ cognoscere possemus, id negotium dedistis: ut hanc infamiæ notam eluendam, corpusq; è fimo & stercore detractum, in honesto aliquo loco frequenti populo solenniter sepeliendum curaremus.

Itaq;, postquàm omnes ad nos conuocassemus, qui uel socij sceleris, uel administri fuerunt, uel certioribus saltem indicijs,

indicijs, honestum pij monimenti locum, turpemq́ sceleratæ uiolationis formam nouerunt: ad Fridesuidę tumulum adducimur, atque non longè ab eo loco, in parte templi septentrionali, sepulchrũ quod fuit, ostenditur. Corpus ipsum aliò delatum, atque per certos indices locus, ubi depositum fuerat, indicatus. Venitur igitur ad Marshalli stabulum, & è putri fimo, nondum penitus absumpta carne, cadauer erutum. Inerant caluariæ longiores pili, totumq́ cerebrum. Ossibus nulla inter se membrorum compage nexis, adhærebat candens & absumpta caro. Sed ipsa, ita ut erant, in unum uas collecta, diligenter ab æditius in ęde sacra custodiri mandamus, eò usque, dum celebrioris festi oportunitas frequentiorem spectaculo populum exhiberet.

Interea, dum pro officij mei ratione, omnia studiosè pararem, quæ ad funus honestandum pertinere uiderentur: in abditissimo fani loco, fortè fortuna ossa quædam subfusca, binis manticis sericis diligenter tecta & inuoluta reperi. Hæc eiusdem ædis hebetes & prisci Canoni-

 ci, reli-

Postridie eius diei qui Dominicus fuit, (neq; enim tot simul peragendis unicus dies sufficere iudicatus est) Rogersonus noster concionem ex suggestu piam quidem et eruditam ad populum habuit: in qua cum multa de communi hominum sorte dixisset: de frangendo penitus & sepeliendo furore carnis nostrę: de Christo ipso, qui sua morte uiam nobis ad uitam communiuit: tandem & aliorum clarissimorũ hominum, quos uiuos nefaria Papistarum tyrannis è medio sustulit: & huius etiam ornatissimæ fœminæ satis honorificam mentionem fecit, quam toto biennio mortuam, & sepultam crudeles è tumulo detraxerunt. Ibi tum uulnus attigit, quod dolorem fecit, quanquam & causas attulit, cur minus quidem fecisse debuerit. Etenim honestæ matronę uitam, tanquã exemplar ad imitandum: pessimorum hominum crudelitatem tanquam scopulos ad fugiendum proposuit, non ut redintegratione illius tyrannicæ potestatis pia corda uulneraret: sed ut eadem potius accenderet ad Deum nostrum in summa laude,

gloriaq́ ponendum, ſuasq́ omnes copiás ad euerſionem illius ſceleratæ potentiæ conferendas.

At quod in oratione præcipuum eſſe debuit, ut cuius cauſa frequentes confluxerant, eam ſuis laudibus adornaret: in eo moderatus fuit, ne aut immodicas laudes congerendo, deſiderium bonorum augeret, aut in ornanda uirtute nihil dicendo, boni uiri partes officiumq́ negligeret. Quocirca ſic dixit, ut ipſam iniuriosius à pontificijs tractatam, famæ priſtinę reſtituerit, auditores ad pietatē multos inflammarit: ad Romanæ ſedis authoritatem ſuperſtitionemq́ tollendam ex omni genere plurimos excitarit.

Sed ne ipſe etiam uel pietatis laudationem, uel amentię uituperationem uideär inſtituere: cum decretum fuerit exigui cuiuſdam negotij, & temporis acta perſcribere, finem faciam. Tacitus interim gratulantes hominum uoluntates, iudiciaq́ prætereo, qui præclaram non uultu ſolum atq; præſentia: ſed uerſibus etiam ualuis affixis animi ſui ſignificationē dederunt. Accipe igitur, præſul optime, noſtrum

ſtrum in mortuā ſtudium,quam uiuam meritò ſemperq́ ſuſpeximus. Accipe uirtutis & pietatis tuę qualecunque monumentum,cum & eam habeamus authoritatem ut poſſis, eam ſanctitatis & religionis curā ut uelis,Chriſti & eius Euangelij promouendi cauſa non ſolum uiuentes præmijs afficere, ſed defunctos etiam, & ſpiritu carentes,ab immani furioſorum hominū iniuria uindicare.

Pertulit infandæ penitùs ludibria dextræ,
Iacta sub obscœno tristior umbra loco.
Scilicet, hoc ueri meruit professio cultus?
Hæc pietas illa præmia luce tulit?
Hos tulit euentus ter quinos mortuus annos,
VVicklefus: patriæ gloria prima suæ.
Sensit & hos animos geminata morte Bucerus,
Sensus in extinctis si tamen ullus inest.
O fera uindictam sitientia pectora semper,
Sanguine iustorum non satianda pio.
Mitior Hectoreæ Pelides extitit umbræ,
Quàm sanctis Domini turba Papalis erat.
Improbus exanimem precio uendebat Achilles
Hectora: nec fuerant bellica iura moræ.
Bella licet non sint cum nostris ulla tyrannis:
Bella Dei sanctis insidiosa mouent.
Vtq; minus præstent se in cassa cadauera sæuos,
Nec precibus flecti, nec pietate queunt.
Ergò ea iure loco truculenta superbia cessit,
Nec potuit, Christo uindice, stare diu.
Nunc melior uotis miseros fortuna reuisit,
Et pietas ueterem possidet alma locum.
Ergo decus ueteris cape nunc Catharina sepulchri,
Nunc pia, quod nostræ sit pietatis, habe.
Vixisti sine labe mali, post funera labem
Aspersere mali, non sine labe tamen.

Nunc tibi, si qua fuit, labem deleuimus: illa
Laude tui merita nominis omnis abit
Officio crescit tibi laus cumulatior isto.
Laus igitur, per quem possumus ista, Deo.

Io. Alb.

Est referenda mihi Papatus fœda tyrannis,
Ergo precor ceptis annue Phœbe meis.
Robore maius opus moueo, da robora cœptis,
Ne quando infamem uim mea musa ferat.
Fœmina Martyr erat, quæ Petri Martyris uxor
Viua fuit, moriens uermibus esca fuit.
Illa fuit membrum Christi, eius membra refossa
Stercore fœdabant membra nephanda Papæ.
Quàm uos uestra diu mendacia stulta iuuabunt?
O uos sacrificûm gens, male sana cohors?
Proh scelus, ah furiæ, funestáque crimina uestra,
Cur ruis in tenebras rasa caterua uolens?
Diuinas tandem Domini cognoscito leges,
Naturæ saltem iura tremenda cole.
Ethnica gens cauit ueterum uiolare sepulchra,
Cum tamen huic ratio sola magistra fuit.
Romulus hinc adeò, Solon quoque, lege uetabant,
Ne male quis uerbo mortua membra petat.
Darius tumulum uiolare Semyramis ausus,
Aurum non reperit, talia uerba legens.

Ah mi-

Ah miser, ah nolles tumulos turbare latentes,
Ni male suaderent ocia, uenter, opes.
At uos Papicolæ Antichristi membra tyranni,
Dario facitis crimina tetra magis.
Darius miserè derisus perdidit aurum,
Oßibus effoßis uos cumulatis opes.
Hic delusus erat: sed uos eluditis omnes,
Putrida dum nobis ossa colenda datis.
At uos rasa cohors, Catharinæ Martyris ossa
Stercore fædatis, non ueneranda datis.
Dicite quid meruit? Quæ mortua crimina fecit?
Si uiuens nocuit, mortua nil nocuit.
Crimina sed fecit, non præbens thura Baali,
(Dicitis) hæresios conscia uiua fuit.
O fœlix Martyr, fato sublata secundo,
Viua nocens, pœnas mortua quæ dederas.
Si quis cepisset te uiuam de grege raso,
Nomine matyr eras, Martyr at usta fores.
Se gerit egregiè Romanæ Cerberus urbis,
Fulmine dum bruto membra sepulta petit.
O Satanæ miles (rogo) diro gutture uirus
Expue, dum nobis nil tua facta nocent.
Mortua nil sentit Martyr, sed stercore fœdo
Polluitur, stercus non olet illa tamen.
Sic gens rasa, quibus uenter Deus, ossa Buceri,
VVicleuique rogo membra sepulta dabat.

DE SANCTA FRIDESVVIda,& Catharina Martyre.

IAC. CALFHILLVS.

FOrte duæ recubant uno sub marmore nonnæ,
Disparibus studijs, utraque fixa tamen.
Altera uirgo fuit (quod dicitur) altera nupta;
Nupta uiro, claustris uirgo dicata fuit.
Virginis in sacros usus seruata fuerunt
Ossa, sed alterius iacta fuere foras.
Nunc redeunt iterum monimenta nouissima nuptæ,
Et cum uirgineis ossibus ossa cubant.
Ergo quid his fiet? Num diuæ uirginis ossa
De tumulo in sacrum sunt referenda locum?
Ossa prophanatæ prodibunt illico nuptæ,
Maior & hoc facto gloria cædet eis.
An iactanda loco nuptæ sunt ossa priori,
Sordibus ut iaceant undique tecta suis?
Ossibus (heu facinus) sanctis tum iniuria fiet,
Et pariter cultu sunt caritura suo.
Nodus utrinq; malus connectitnr. Ergo facessant
Hinc rabida impietas, inde superstitio.

IN RELIQVIAS S. FRIDESVVIdæ, & ossa Catharinæ Martyris, Epigrammata eiusdem.

Ossa Fri-



SSA Fridesuuidæ sacro decorata triumpho,
Altari festis mota diebus erant.
E tumulo contra, Catharinæ Martyris ossa,
Turpiter in fœdum iacta fuere locum.
Nunc utriusq; simul saxo sunt ossa sub uno,
Par ambabus honos, & sine lite cubant.
Viuite nobiscum concordes ergo Papistæ,
Nunc coëunt pietas, atque superstitio.

OPposito magnum nisi sistitur obice flumen:
Læue quidem tacitis labitur agmen aquis.
Molis at obiectus, cum fluminis excitat iras:
Allisis crispans fluctibus unda furit.
Nec post illa, minas quas concipit irrita lenit:
Obicis at tentat radere sæua moras.
Læua fides, fictæq; diu sic numinis aræ,
Duxerunt tacitum semisopita nefas.
At leuibus postquam intentata pericula rebus:
Se ciet in fluctus fluminis unda feros.
Cassa sed indomitas ea fraus sese induit iras,
Tantum uelle diu, lædere uelle fuit.
At postquam longa languescens tabe peremptus
Rex Edoardus erat, relligione pius:
Illuuies populos urget decumana fideles,
Non minus ac miserum prensat ouile lupus.

Exilium multi longum, longúmque petessunt,
Qui manet, huic tutum non fuit, esse domi.
Namque reo, Roma reuocatus ab exule Polus,
Se pro rege gerit proditor, Angligena.
Natus idem assequitur, quod tentauere parentes,
Viserat hic Papam, proditor unde prius.
Tunc à secretis fermenti dicta sequuntur,
Quilibet insulso pendet ab ore uiri.
At Polus Colos, ut membra amplectitur arctè,
Et Coli Polum, non minus usque colunt.
Hi carnalitij, putri cum carne globati,
Hæresis abradunt multa repagla suæ.
Impetit hæc rabies reginæ cæca sororem,
Hoc prudenter agit. Nam caput ipsa petit.
Sed Deus hanc diri subtraxit ab ore leonis:
Vt premeret diri facta leonis ouans.
Impetit eximios uerbi uesana Prophetas,
Non ætas, sexus, conditioue iuuat.
Qui Christi retinet syncerè dogmata nostri,
Sat fecisse ferunt, fune, uel igne perit.
Non aufert Catharina Petri se Martyris uxor,
Sit licet extremo corpore clausa rogo.
Sed neque, qui fuerant præcones, parcit humatis.
Lurida sed putri corpora tollit humo.
Tollit humo, mandansque pyræ excommunicat ipsa,
Cumque animis stygio mandat habenda cani.

Barba=

ἀλλ' αὕτη καθαρὰ γὰρ ὑψιμέδοντι παρέστη,
ταύτην οὐ μόλυνεν βόρβορος, οὐδὲ κοπρών.
οὐδ' ἀμίαντος ἔβη ἐς ὑπέρτατα δώματα, πλήρης
γηθοσύνης, ῥύπεος σωματικοῦ ἀμιγής.
ἤματι ἐσχατιῶντι, νεκρῶν ὅτ' ἀνάστασις ἔσται,
σῶμα κλέος μέλλει πνεύματι ἴσον ἔχειν.
τοῦτο θεός δώσει, ἡμεῖς δ' ἐν τῷ γε μεταξύ,
γὰρ σῷ ἄψ δίδομεν σώματι μνῆμα πρέπον.
σοὶ θεὲ ναιετάοντι κατ' οὐρανὸν ἀστερόεντα,
ἐκ κραδίης χέομεν νωλεμέως χάριτας.
ὃς πτωχοὺς ἐλεῶν καὶ ἀγηνορέοντα δαμάσσων,
αὐτιταλαντεύεις ἄξια τοῖσι βροτοῖς.
τοῖς τέκνοις καὶ τῶν δυσμενέων ἐπαρήγονα χεῖρα
δός, τοὺς εὐσεβέας πάντοτε ῥυόμενος.

Κύριε σῶσον τὴν βασιλίδα.

Ἐκ πάντων λίτομαι δαιμῶν βασιλίδα σαώσοις
ἡμετέρην, πάσης ἣ μέλει εὐσεβίης.

IN TERTIAM SEPVLTV-ram Katherinæ Petri Martyris uxoris, *carmen.* Harbarti VVest.

QVæ fuit à nobis priùs hîc inhumata ſepulchro,
Eſt tumulo nobis rurſus humanda ſuo.
Non quòd non ſatis eſt, cuiuis ſemel eſſe ſepultũ,
Nec quòd non fuerat rite ſepulta priùs.

Sed

Ossa quid offendant, in promptu causa uidetur:
Carnosis patribus nil sine carne placet.
Ergo remouerunt hæc ossa sed oßibus istis:
Seruant & sanctè deteriora colunt.
Hoc quoque cur faciant, in promptu causa uidetur:
Permultum ex illis utilitatis habent.
Ocrea, mucrones, calcaria, stercora, missæ,
Omnia pro quæstu relligiosa forent.
Talia sunt, populo quæ uendit turba Papalis,
Hæc tamen antiquo tempore facta uolunt.
Et quis non credat merces has esse uetustas?
Præ senio fœtent: quis putet ergo nouas?

Eiusdem de eadem proiecta.

FOEmineum sexum Romani semper amarunt.
Proijciunt corpus cur muliebre foras?
Huic, quod tu quæris, facilis responsio danda,
Corpora nil curant mortua, uiua petunt.
Mortua non poterit, potuit nec uiua placere:
Mortua nil prodest, uiua pudica fuit.

Epitaphium in restitutionem Petri Martyris uxoris.

G. Smythus.

CVm Romana lues nuper hypocrisis,
Cæcasset populum, nec foret uspiam

In tota pietas gente Britannica,
Sæuirentq; tui (Papa) satellites:
Quod non tum facinus uidimus, et nefas,
Spumanti patria sanguine martyrum?
Sed non maius erat carnificum scelus,
Nec quod papicolas plenius indicet,
Quàm Papæ Domini sint similes sui:
Quàm quòd turba piam non pia fœminam,
Et quæ martyr erat, nuptáque Martyri,
Effossam tumulo proijceret suo.
At quid plus faceret pessima, millies
Si leges rigidas iuráque frangeret?
Si quando patriam perfida proderet?
Quid posset grauius mortua perpeti?
Nunc à papicolis dilacerarier,
Qua non ulla fuit fœmina sanctior.
Proh quanta impietas? quale nefas fuit?
Quis tam Mirmidonum miles erat ferus,
Vt terra effoderet mortua corpora?
At nunc ecce tamen repperit hanc nouus
Romanus Phalaris pernitiem nouam?
Sed dic, quid rabies, quid furor obfuit?
Nil expers animæ senserat, & pia
Nil tantum meruit: sic graue mortua
Nil perpessa fuit nec pia dedecus.

Cur ergo

Cur ergo exanimis turba cadaueris
Sic in relliquias barbara sæuijt?
Nil flexit pietas? ferrea nil pudor,
Nil uindicta dei, pectora terruit?
O proles rigidi sæua Lycaonis,
Contemptrix superûm, plenaq; sanguinis,
Cædis sanguineæ stirps auidißima:
Mansuescat feritas, nec furat amplius
Strages tam miseras quæ dedit hactenus:
Ac te nequitiæ nunc pudeat tuæ.

De restitutione nominis, & famæ Catharinæ Martyris.

I. *Alsappus.*

SI quis amor ueræ lucis sub pectore uestrô,
Depulsis tenebris hunc celebrate diem.
Namq; uelut cæca nuper caligine mersi,
Sectati tenebras, & malefacta sumus:
Sic iterum exorto diuino lumine Verbi,
Sit, patrare Dei lumine digna, labor.
Turba furens facibus, ferroq;, papistica quondam,
Sustulit è medio, quod pietatis erat.
Sanctorum rapidis commisit corpora flammis,
Traxit & è tumulis ossa sepulta suis.
Vt tamen impuro macularent omnia cultu,
Quidlibet idôlis attribuere suis.

Hæc sensus uitæq; expers, at (uita superstes
Dum fuit) in sacra manserat usque fide.
Quid potuit melius, quàm sanctam reddere terræ,
Et dare iusta piæ manibus officia?
Vos quicunq; sacram iam nunc inuisitis ædem,
Hîc peragunt ueræ dum pietatis opus:
Auferte ex animis tenebrosi iura Papismi,
Syncera colite & relligione Deum.

Ex collegio Mertonensi:

Hostis Euangelij, sathanæ Papista satelles,
Viua Iouis stygij patris imago tui.
Quis furor indomitus cineres turbare sepultos
Impulit, & tristi busta mouere manu?
Non poteris Christi famulos terrere fideles,
Sint licet obiectæ dire Tyranne faces.
Non rictus metuit uirtus infracta leonis,
Non potes hic quauis arte nocere leo.
Dum clarum pugnas Catharinæ extinguere nomen,
Ecce opera facta est clarior illa tua.
Nam quæ obscura diu latuit tellure sepulta,
Nec quicquam præter triste cadauer erat:
Tu facis ut uiuat celebris sermone piorum,
Et capiant laudes pristina facta nouas.
Plus lædendo iuuas, quàm si prodesse studeres.
Impia conuellit sic tua uota Deus.

Nam tibi nomen erit terris Catharina perenne,
Famáque, quam nequeat tollere sera dies.
Quam non uis, hostis non fex intensa cloacæ,
Quam non crudelis lædere flamma ualet.

Rich. Mauric.

HVc cita turba ruat, spectet pia funera fletu,
Et decoret triplici membra sepulta rogo.
Martyrio perfuncta suo, perfuncta furore
Romulidûm, lachrymis membra retorta riget.
Et recolat rapidos iaculati fulminis æstus,
Papali tumidas corde fremente minas.
Queîs non terra ferax, non uastum sufficit æquor,
Non hominum carnes putrida membra placent.
O gens Romulidûm ciuili pasta cruore,
Christicolæ tepido sanguine plena gregis:
Corpora tam grauido cur turbas mersa sopore?
Cur fraudas tumulis ossa sepulta suis?
Cur iacet hæc matrona suo fraudata sepulchro?
Cur iacuit fœdo stercore pressa prius?
Quòd pia pestiferam Romanam spreuerat hydram,
Et tumido constans quòd fuit hostis apro:
Quòd spreuit simulachra, Dei pugnantia Verbo:
Quòd spreuit fragiles (signa caduca) Deos:
Vmbratum cultum spumantis fulmina Papæ,
Vaniloquas nugas, & sine fruge sonos:

Quòd

Quòd fuerat Christi felici nupta ministro:
Mortua martyrio fœmina functa suo est.
Non satis est rutilis torqueri uiscera flammis
Viuida, uel mortis cuspide tacta mori?
Non satis est teneros arrodi uermibus artus?
Non satis est corpus luce carere sua?
Mortua sulphureas ecquid persenserat iras?
Mortua mutatos num dolet esse rogos?
Stercoris immundos fœtentis sensit odores?
Aut patulæ naris sensibus usa suæ est?
Nil potuit sentire mali tam triste cadauer:
Vestra tamen non est mens scelerata minor.
I nunc insanos (papistica turba) furores
Confer Christicolæ (turba nephanda) gregi.
Non hominum carnes torrent, non uiscera torquent,
Non renecant lœtho membra necata prius.
Sed tumulo condunt, quæ stercore mersa iacebant,
Et figunt digno corpora digna thoro.
Tu matrona iaces gelido commissa sopori,
Vt iacet in medios agna sepulta lupos.

Roberti Rolli, Carmen
Sapphicum.

Charitas uafris colitur Papistis,
Charitas cunctis resonatq; uerbis,

Charitas his est uel ubique plenis
Sanctula buccis.
Scilicet sancti hi Domini Prophetæ,
Nil agunt sancta sine charitate,
Pacis authores: studiumq; pacis
Laudibus ornant.
Ecce sed summis fluidæ labellis,
Dum natant uoces pietasq;, paxq;,
Sanguinem, flammam, rabiem, furorem
Nil nisi spirant.
Sancta tu testis Catharina Martyr
Huius es facti, modò pestilentes
Quam sepulchrali fruier negabant,
Iure Papistæ.
Quid frui dico? putridum cadauer,
Conditum terra, tumuloq; clausum,
(Proh nephas) inter minimè ferenda
Stercora iactant.
Non quòd hæc sensit pia mater ullum
Imò nec posset patier dolorem:
Sed sua ut cunctis manifesta constet
Dira tyrannis.
Ito nunc sæui truculenta Papæ
Turba, & ostenta studium quietis:
Charitas uestro pia sanctitasq;,
Seßitet ore.

Eiusdem

Eiusdem cum Apostrophe ad Catharinam Martyrem.

DA ueniam Catharina tui si in fine libelli
Lentus eram uersus opposuisse meos.
Sint licet extremi, non sunt (puto) prorsus inepti,
Vt Papa perstringam uim scelerate tuam.
Qui per sacrilegos (proh turpia facta) ministros,
Proijcis in fœdos membra sepulta locos.
Sed quibus heu parcet, si martyri parcere nolet:
Nempe hæc, quam refero, fœmina martyr erat.
Nomine quæq; prius, nunc re Papa martyra fecit:
Laus quoque ab effosso corpore maior adest.
Viue anima ô fœlix, tantò fœlicior, alto
(Quò liquet in terris plura tulisse) polo.

MONVMENTVM D. MARTINI BVCERI THEOLOGI INcomparabilis. Authore *Iohanne Sapido.*

Colloquuntur Viator & Religio.

VI. *Quae tu?* RE. *Relligio.* V. *qualis?* R. *quae sola tot inter*
Falsas cultorem sano beoq; meum.
VI. *Hic quid agis?* R. *tumulum Martini seruo Buceri.*
VI. *Quid? caret hic patrij uir pietate soli?*
RE. *Plane.* V. *cur?* R. *fuerat uix hoc studiosior ullus*
Et lingua & calamo me celebrare suo:
Non tulit has, inimica mihi gens, impia laudes:
Huc & in exilium compulit ire uirum.
A me non tamen abstinuit se, donec Olympo
Spiritus eius et hac corpus inesset humo.
VI. *Ergo, fuit quibus indignus Germanicus orbis,*
Ossa fouet placido terra Britanna sinu?
RE. *Sic est.* V. *ergo carebit eo Germania?* R. *quin hunc*
Verius in scriptis est habitura libris.
His me uiuus adhuc probat, atq; probabit adusq;
Tempora supremo debita iudicio.
VI. *Sat teneo, ualeas,* R. *& tu: Sed crede ualebis*
Aeternum, si me, fecit ut ille, coles.

Eiusdem in eundem exhumatum & crematum.

Qualem

Qualem te rediens uideo? nam non tibi uultus VI.
Hæc species, iter hac me faciente, fuit.
Dic quid habes, cuiusue rei te cura molestat?
Cura, parem cui uix attulit ulla dies. RE.
Quæ? R. dicam, tamen haud modico mœrore, Buceri VI.
Extractum rursus putre cadauer humo:
Atq; datum flammis simul in cineremq; redactum,
Hem quid ais? quæ uis hoc fuit ausa? R. rogas? VI.
Impietas malesuada superstitionis amica.
Et nunquam rebus non inimica meis.
Non odio Papa in Papam tam sæuijt acri,
Hunc ubi de tumulo protulit ille foras.
Fertur & hic olim Rex eruta regia membra,
Non temere, in uastum præcipitasse mare.
Non ignoro, Calydonij patienter an ægrè VI.
Pertulerint facinus tam graue, scire uelim.
Nescio: pars redit ad uomitum: pars mussat eorum: RE.
Externas sedes pars male tuta petit.
Quid speras? R. ex hoc orituros puluere mille, VI.
Qui me contendent tollere laude pari.
Hoc faciat Pastor, qui, dum manet orbita Solis, VI.
Vult ouibus uigilans semper adesse, Vale.

In eundem restitutũ Matthię Hubneri.

Quem uideo? VI. quæ tu? si me non fallit imago, RE.
Ter nunc his ipsis es mihi uisa locis.

Salue:

Salue. RE. tu nobis etiam sis aduena saluus:
Quid fers? VI. me primo quærere pauca sine.
Nuper eras tristis: non hæc tibi forma: nec ille
Tum uultus: læta nunc mihi fronte places.
RE. Tristis eram merito. VI. cur nunc oblita doloris?
Dic. RE. quod in antiquum sum reuocata locum
Pontificis rabies cessauit, & inpia Missa:
Frigent Ausonij dogmata uana lupi.
Meq; colunt sancta rursum pietate Britanni:
Regina est, qualis Rex Edoardus erat.
VI. Grata mihi narras. RE. uellem superesse Bucerum,
Viuus & his doctus Fagius esset agris.
RE. Recta mones: hi sunt quorum tu membra dolebas
Effoßa, & cineres corpora facta leues.
RE. Hos ipsos dolui. VI. fuit hæc insania magna:
Ast ubi nunc nomen, nunc ubi fama manet
Illius? tanta qui te pietate colebat,
RE. Quanta uix alius te coluisse queat.
Vnquam grata fuit sancti si fama Buceri,
Sydera dum claro fixa fuere Polo:
Nunc est: an nescis quæ sunt his acta diebus?
VI. Dic, properat fessos tingere Phœbus equos.
RE. Sceptra tulit paucos Romanus Episcopus annos
His terris. VI scio: sunt hæc mihi nota prius.
RE. Finibus interea fueram dum pulsa Britannis,
Eruta sunt terris ossa sepulta suis.

Et data

Et data sunt flammis. VI. narras audita: tyrannis
Sæua fuit. RE. finem cuncta tyrannis habet.
Qui meus hostis erat, sanctam cum corpore famam
Credidit incensos tollere posse rogos.
Verùm huc cum redeo precibus reuocata piorum,
Quæ solæ pulsam me reuocare solent:
Fama redit sancti paulùm sopita Buceri:
An posset tantum tollere flamma uirum?
Ecce uocat doctum mox Rector *in urbe Senatum:*
Et fiunt templis publica uota sacris.
Effundit paßim se mox studiosa iuuentus,
Vt præceptorem laudet ametq; suum.
Romana uatum lingua linguaq; Pelasga
Vidisses multis carmina fixa locis.
Quisq; studet celebrare uiri cum funere uitam
Et meritas laudes dicere quisq; studet:
Hic dolet effossum: positum sed corpus in ignes
Ille dolet: cineres quæritat iste suos.
Doctrinam hi laudant: alij sanctißima scripta,
Et quæ Germanus, *quæq;* Britannus *habet.*
Enumerant alij subijt quos ille labores,
Accensos quoties uiderit ipse rogos.
Vt taceam quanta fuerit pietate per omnes
Annos. V. constanti uir pietate fuit.
Heu quoties cupijt sanctam peruertere mentem RE.
Hostis? & à uera præcipitare fide?

Non po-

Non potuere minæ: nec fulmina dira potentum:
Nec promissa grauem dona mouere uirum.

VI. *Splendidus ergo dies fuit hic, tum plenus honore,*
Qui cecinit laudes docte Bucere tuas.
Et si talis eras, similem Germania nescit:
Nescit nunc similem terra Britanna uirum.

RE. *Flumina sicca prius, prius aut sine piscibus æquor:*
Aut pascat rapidos Anglia uasta lupos:
Quàm pereat sancti sanctißima fama Buceri:
Aut pereat sanctum nomen in orbe suum.

VI. *Cur fugis hinc?* R. *nox præcipitat.* V. *dic ducet in urbem*
Quæ uia? cur non hac hospes in urbe manes?

RE. *Perge modo: Oxonium breuis hæc te ducet in urbem*
Semita: V. *nil mandas? ergo puella Vale.*

RE. *Tuq; uale: Alsaticos uenies ubi saluus in agros*
Narrato doctis hæc noua grata uiris.

FINIS.

EXCVSVM ARGENTINAE APVD PAVlum Machæropœum, sumptibus
Iohannis Oporini, Anno
M. D. LXI.